

B. M. II, 86.
f. 17, 8.

(X 1880758)



JOANNIS
FREINSHEMII

De
S. ROM. IMPERII ELECTORUM
&
S. ROM. ECCLES. CARDINALIUM
PRÆCEDENTIA
Diatribæ Quinque.

1. 82
~~1. 82~~





DIATRIBE I.

Breuiarium.

Occasio & causa huius scripti (pr.) Vocabulorum Explicationem prodesse
 (1.) Vocis Sacer origo & significationes duae (2.) Tertia significatio (3.) Quo
 sensu Rom. Imperium Sacrum appelletur: quo Rom. Ecclesia (4.) Romanum
 quor modis dicatur (5.) quo sensu Imp. Romanum appelletur (6.) quo Ecclesia
 (7.) Imperii varia significatio (8.) Cur hodie nomen id Germania proprium (9.)
 De nomine Electorum (10.) Ecclesiae etymologia; & Vere Vniuersalis Ecclesiae
 descriptio (11.) Eius diuisio. Ecclesia nomine an contineantur hypocrita, &
 palam scelerari? (12.) An repugnet, eandem Ecclesiam & Catholicam dici &
 Romanam? (13.) Descriptio eius Ecclesiae, cuius hodie sunt Cardinales (14.) Car-
 dinalis vox adiectiua. Variae acceptionis Cardinis (15.) Carda dea. Cardinarius
 (16.) Cardinalis de multis rebus dicitur. non adiecto substantiuo, subauditur
 Vel Diaconus, Vel Presbyter, Vel Episcopus (17.) Hi Cardinales à cardine dicun-
 tur, non οὐρανίου (18.) Sed παρονίου, pro fixo & proprio Ecclesiae suae mi-
 nistro. Unde vocabula incardinandus, incardinatus, annexus cardini (19.)
 Ergo nec proprie, nec semper, praecipuum sonat (20.) Nec ideo dicti Cardd.
 quod aliis in eadem Eccl. praesent (21.) Ideoque nomen istud tarde ostenta-
 tum (22.) Circa Annum CHR. DLX nec Roma tantum, sed passim (23.)
 Cardinales proprie fixus cuiusque Eccl. & proprius Clerus (24.) Cardinales
 an fuerint ante Gregorium? (25.) Nomen id Clericos ordinarios distinguere ab
 extraordinariis (26.) Cur hodie Romana tantum Eccl. Cardinales audiantur
 (27.) Cardinales cedebant Episcopis. igitur ob hoc Hieronymum sibi non praeu-
 lisset Augustinus (28.) Cardinalium status primarius (29.) Alter, adsumptus
 per temporalem potentiam (30.) Cui diu fuit obex à Graecorum Imperio in Ita-
 lia (31.) Cardinales tarde sumserunt vestes preciosas: tum quoque minores
 Episcopis (32.) Cardinalium praesentium à Veteribus differentia, & Definitio
 (33.) Praecedentiae vox non bene Latina. Cur ei res denotanda nullum apud Ro-
 manos vocabulum (34.) Cur voce Praecedentiae utendum censuerimus in notis
 istis S. Rom. Eccl. literam S. siue Sacram siue Sanctam indifferenter significa-
 re (35.) Propositio deinde dicendorum (36.)



Uum inter S. Rom. Imperii Electores, & S. Rom. Ecclesiae
 Cardinales nuper exorta de gradu dignitatis contentio,
 tum rei magnitudine sit notabilis, tum etiam inter vali-
 dissimas partes, oppugnandiq; & repugnandi finem haud
 facile facturas, diuturna fore videatur; dignum id esse
 non modo discentium studiis, sed etiam doctorum atq; prudentium iudi-
 cius argumentum putavi. Ut igitur illa quantum in me est iuuarem, haec
 elicerem, DEO bene iuuante comparationem Ordinum istorum institui,

A

ex

ex qua confido manifeste appariturum, ubi prior maiorq; honos, & tam interincedendum, quam in confessu solenni familiarie dignior locus debeat. Nam & ad hominis non Ciuilis modo, sed etiam Christiani officium quodammodo pertinet, quum honorem exhiberi cui honor debeat DEUS noster præceperit, vt hic quoq; duplex peccatum caueatur, ne forsan, quos ille honoratiores esse voluerit, iniuria; & alios supra debitum ipsis modum honore adficiamus. Nec vero cuiquam suspecta sit sententia nostra, quia sub Electore viuimus. Viuimus enim sub eo, qui neq; sui iuris prodigus, neq; alieni auarus, plus delectatur his qui vera, quam qui grata student promere.

I. Principio igitur, quum, ut Plato in Cratylo, & Aristoteles passim demonstrat, ad rerum cognitionem sæpissime verborum ductu penetretur; non alienum fuerit considerare, quid istæ voces *S. Rom. Imperii Electores*, & *S. Rom. Ecclesie Cardinales* nos doceant, & primo quidem eas, quæ sunt vtrique Ordini communes, tum deinde ceteras examinabimus.

II. Communes vtriq; voces esse videmus *Sacri*, & *Romani*. quæ vt equidem omnes aliæ linguarum omnium (quantum conuicio) non vnã significationem habent. Chrysippus apud A Gell. 8, 11. ergo ex pluribus eruenda ea erit, quæ rei de qua agitur maxime consentanea reperietur. *Sacer*, si Stephano Guiccardo credimus (l' Harmonie Etymologique scripsit) deductum est ab Hebraico קצח quod significat *occidere, trucidare*, per transpositionem literarum. id mihi durum videtur. quin, vt pleraque Latinæ linguæ, Græcam originem habet. $\zeta\acute{\alpha}\kappa\omicron\varsigma$ de ministro deorum vsurpatur Græcis. Hyperides Phrynen in iudicio publico defendens Athenis $\tau\omega\ \iota\omega\phi\eta\tau\iota\nu\ \kappa\ \zeta\acute{\alpha}\kappa\omicron\varsigma\omicron\nu\ \text{Ἀφροδίτης}$, appellauit, h. e. *subuatem & ministram Veneris*, vt Athenæus l. XIII. cap. VI. retulit. Plut. Camillo c. XLIX. $\iota\epsilon\rho\epsilon\iota\varsigma\ \tau\epsilon\ \kappa\ \zeta\acute{\alpha}\kappa\omicron\varsigma\omicron\iota\ \delta\epsilon\omega\omicron\nu$, vbi exponit *edituos*. Sed Græca vox sonare videtur aliquid augustius. quod ex Æthiopicis Heliodori cõiciat, qui sæpe Charicleã suam nominat $\text{Ἰὴν τῆς Ἀρτέμιδος ὁ ζάκωρον}$. Veteres Latini puto *Camillam* vocassent. Ab ea ergo voce $\zeta\acute{\alpha}\kappa\omicron\varsigma$ siue $\sigma\acute{\alpha}\kappa\omicron\varsigma$ (vt inter literas ζ . & σ . magnam esse adfinitatem etiam Eustathius in Homeri Iliad. B. vers. 267. notat) Latinis factum est *Sacer*, quod itidem personas aut res deorum ministerio destinatas significat. Vnde peritissimus antiqui iuris Trebatius, apud Macrobi. Saturn. lib. III. cap. III. *Sacrum est, quidquid est, quod deorum habetur. Quidquid est*, inquit. Vnde intelligimus quomodo secunda significatione, quam primam facit hypothesi suæ seruiens Guiccardus, *Sacra*, dicta sint etiam pro sceleratis. non per antiphrasin, vt falso putant, sed

sed quia DEUS quidquid sibi devotum esset ad excidium (☩☩☩ vocant) factum esse sanxit, Levit. XXVII. sub fin. præcepitque hominem ita devotum occidi. Deuuebantur autem scelerati, vt exempla docent Biblica. Transiit hoc etiam, vt alia, ad gentes. Ergo & apud Tacitum 13, 57, 3. *Hermunduri diuersam aciem Marti ac Mercurio sacrauere, quo voto equi, viri, cuncta victa (viva) occidioni dantur.* Respicit eo lex Romana: vt qui tribunis plebis &c. nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset, apud Liu. 3, 54, 5. Hinc ergo quod quisq; perire cupiebat, quantum in se erat deuuebat, sacrumq; esse optabat: aut si non esset hoc suæ potestatis, saltem *sacrum* appellabat, quasi dignum quod ita consecraretur. In septemtrionalibus quidem Regnis vocem *forbannat* sic vsurpari continue nouimus. Sic Horat. Serm. 2, 6. — — *intestabilis & sacer esto.* quo minus miremur *auri sacram famem*, apud Virg. *Æn.* III. *sacrum alarum hircum* Catull. ad Varron. *sacrum ignem* Plin. 26, 11. *morbum*, τὸν ἐπὶ τῶν νόσων, nec enim causæ huius appellationes veræ sunt, quæ ex Aretæo de diuturn. aff. cap. IV. referuntur. *serpentem* quoq; pestilentissimum quemdam perhibent *sacrum*, τὸν ἐπὶ τῶν καλῶν ὄφιν, Aristot. siue quicumq; auctor est libri de Mirabil. Auscult. c. CXXXVI. Vnde nec difficile sit diuinare cur aliquando קדש & השקד turpissimorum hominum sit appellatio. & cur קדש אגוד, ἀνάθεμα grauissimorum piaculorum nomina esse ceperint.

III. Ex supradictis apparet, *sacrum* vocari, quidquid ad deos pertinet. Istud ergo vocabulum, mox cum aliis eiusdem generis ad terrestres illos deos, Romanorum Imperatores dico, per adulationem translatum, tertiam notionem peperit; Christianis iam Principibus sibi ipsis hæc vocabula tribuentibus, quæ inter initia huius abusus etiam Ethnici repulerant. Certe Tiberius Imp. *sacras occupationes suas* dici noluit, ut Suetonius in eius vita cap. XXVII. testatur. At sequuta tempora tam intemperanter ista receperunt, ut ipsi quoq; Imperatores rescripta sua *diuina literas*, l. 7. C. de natur. lib. *diuina precepta*, l. 1. C. vt dignit. ordo seru. *diuinas suas domos*, Nou. Tib. Imp. cap. I. *diuinitus deputatam causam*, h. e. ab Imperatore, Nou. LXXXII cap. IX. semet ipsos *nostrum numen*, l. 2. C. vt dign. ordo seru. *nostram eternitatem*, Nou. XI. f. similia multa passim vocarent. Inde inualuit vt & *leges eorum sacrae*, vt in Epilogis multarum Nou. & alibi sæpe, & *sacrae pragmaticæ*, Edict. Iust. XII. f. vulgo dicerentur.

IV. Hac igitur tertia significatione *S. Roman. Imperium* vocari planum est. At in *S. Rom. Ecclesia* duæ potius reliquæ habent locum, quam à fauentibus primo maxime modo *sacram* appellari, in confesso est: ab

aduersariis secundo, vt eorum verba docent. e.g. illa Conringii de Germanor. Imperio Rom. cap. XI. f. *neque nostri instituti est horribilem illam & sacr. am tyrannidem exponere.*

V. Secunda vox communis his Ordinibus est *Romanum* dici. quod haud dubie à Roma deductum nomen est, sed dissimili modo. Non enim sicut *Imperium Romanum* hodie, sic etiam *Ecclesia Romana* dicitur, quod ex varia vocis acceptione patebit. *Romanum* enim *Imperium* id verissime dici potuit, quum & qui imperabant Romani fuerunt, & ipsa Roma eiusdem Imperii pars aut caput fuit. Minus proprie appellatū est *Romanum*, quo *Romana* gens externorum dominationi subiecta fuit. Sed vbi nec qui regnant, nec qui regnantur Romani sunt, *Romanum Imperium* vocari profecto mirabile est. Sed eius appellationis originem credo natam ex Relationis quodam paralogismo. Nimirum homines *Romanum Imperium* crediderunt appellandum, quod ab Imperatore *Romano* regeratur: parum interim animadvertentes, eam quoq; appellationem, *Imperatoris Romani* dico, diuersis omnino rebus accommodari. Nam præter significationes, quæ respondent duabus his *Imperii Romani*, quas modo exposuimus, aliis duobus modis Imperatorem Romanum dici potuisse reperio.

VI. Germanicarum gentium priores Imperatores, puum in potestate Romam haberent, atq; inde Romani Imperatores & essent & vocarentur; qui in idem ius successere postea, titulum *Romani Imperatoris* retinuerunt; quum reuera Romacum suburbicariis fere prouinciis mutato domino Papam agnosceret. Hinc igitur tertio iam modo *Romani* vocabantur *Imperatores*, nō qui essent, sed qui esse deberēt. Successu temporis maior adhuc videtur esse facta mutatio, quum iam etiam iuri suo in Romanos renunciare visi, tamen titulum retinuerunt; ut nuper Serenissima Regina mea, quamquam omni iure in Consobrinum translato, titulos Suetici reliquorumque Regnorum atque Principatuum seruat. Quum igitur Germanici Reges posterioribus his sæculis utrolibet modo *Romani Imperatores* vocarentur, creditum est, etiam Regnum eorum debere *Romanum Imperium* appellari. Hic igitur modus est, secundum quem hodie *Romani Imperii* nomenclaturam verissime explicari posse arbitramur. Nam primus à primordio Imperii ad Carolum Magnum intelligi potest: Secundus à Carolo ad Henricum IV. Tertius ad Carolum forte IV. Nam ex eo tempore tametsi nonnunquam pristina iura repetita sunt, unde Conring. de Germ. Imp. Rom. cap. XIII. concludit Germaniæ ius in urbem Romam adhuc saluum esse: id tamen factum adeo segniter, & in-

con-

contrarium intercesserunt actus adeo validi, vt veritatem potius quam gratiam intueri certus, non possim a sententia proposita discedere. Sensit hoc Theodoric à Niem, quum ante annos circiter ducentos quinquaginta sic scriberet lib. III. cap. XLI. de Schismate: *Roma iam dudum amisit imperium, & tamen tres concurrentes hodie habet reges, scilicet Ladislaum Venceslaum & Rupertum predictos SOLO NOMINE Reges.*

VII. Porro ex quatuor his *Romani* significationibus palam esse puto 3 & 4 *Ecclesie Romanæ* minime conuenire. superest vt de prioribus dispiciamus. Earum autem posterior videtur competere, sicut enim *Romanum Imp.* à loco & veluti materia vocatū est: sic etiam *Eccl. Romana* est, quæ Romæ est, cuiusque catus ex Romanis præcipue constat. An & primo modo Romana dici potest? quia nimirum Romani in ea dominantur? Negandum existimo. Nam in Ecclesia, Christiana quidem, vnus dominus est CHRISTUS, à quo etiam augustissimam sane appellationem traxit. Secundo, si Domini Ecclesiarum forent Episcopi, ab eorum tamen natione nomen illis nõ imponeretur, quia discrimen nationum in Ecclesia DEUS sustulit, Rom. 10, 12. 1. Cor. 12, 13. & Gal. 3, 28. *ὅτι ἐν ἡμῖν ἰσχυρὸς ὁ θεὸς ἐστιν.* Tertio, si fuisset Ecclesia quæ Romæ est ab Episcopis appellanda, principio Hebraica, sæpe deinceps Græca, Lotharingica, Allobrogica, Burgundica etiam, & plurimarum aliarum gentium nominibus vocanda fuisset. Relinquitur ergo non ab Episcopis, sed à cætu, locoque vbi ille degit, *Romanam Ecclesiam* dici, quemadmodum Mediolanensis, Alexandrina, ceteraq; omnes Ecclesie, à suis quæq; sedibus cognominantur.

VIII. Post explicationem atq; distinctionem vocabulorum, quæ sunt quodammodo Electoribus atq; Cardinalibus communia, ad cetera deinceps expendenda progredimur. & quia *Imperii Electores* dicuntur, interest considerare, quæ præcise res in hoc negotio *Imperii* nomine significetur. Remotis igitur palam alienis à proposito notionibus, quum *Imperium* vel pro militari prætura, vel pro ciuiliū magistratuum potestate, etiam iussu dominantis, immo & medici, varie sumitur. propius nostrum propositum est, quod *Imperium* pro forma Reipublicæ vsurpatum reperias, ut apud Curt. 9, 8, 4. *gentem, quæ populi non regum imperio regebatur.* Item pro ditione & subditis, cui plane respondet nostrum *Gebiet*; ut Tacit. H. 1, 16, 1. *Si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset.* Romani suam potentiam ideo quoque *Imperium* vocabant, quia *Regnum* dici nolabant Regum expulsores atque inimici. Ergo & apud Tacitum 2, 57, 6.

Cn. Piso Principem, h. e. Imperatorem, & Regem opponit, Principis Romani, non Parthi Regis filio eas epulas dari. & Livijs 42, 10, 4. maxima quæque & regna & imperia sub casibus multis esse. Idque etiam postea sub Imperatoribus, quamquam haud dubie Regia potestate præditis obtinuit, tum à veteri vsu, tum etiam quia magnitudine Romanæ potentiaæ effectū erat, vt Imperii nomen, quo hi utebantur, maius aliquid atq; magnificentius, quam Regni, quod multis alijs competebat, videbatur. Receptum igitur est, vt licet omnes Respublicæ liberæ, paris esse fastigij videantur, Imperiū tamen præ Regnis eminens aliqua dignitas intelligeretur. Vnde & Græci quam appellationem τὸ βασιλεύς quod Regem significat, Imperatori suo consueverunt tribuere; hos qui in Occidente rerum potiebantur, Ῥῆγας Reges tamquam minoris dignationis vocabulo nominabant. Procopius Gothic. lib. I. pag. 166. de Theodorico: καὶ βασιλέως μὲν τὸ Ῥωμαίων, ἔτε τὸ γήμαλθ, ἔτε τὸ ὀνόμαλθ ὁπβαλεῦσαι ἠξίωσεν. ἀλλὰ ῥήξ τε διεβίω κολεῖ μινθ ἔτω γδ σφῶν τῶς ἠγεμόνας οἱ βάρβαροι καλεῖν νενομίχασιν. Et Imperatoris quidem Romani neque formam neque nomen occupare sustinuit. sed ad vitæ finem usq; Rex appellatus est. Ita enim barbari principes suos vocare consueverunt.

IX. Ab hac origine processit Imperiū nouissima notio, vt hoc nomine intelligatur nostra hæc Respublica, quæ hodie Germaniæ fere finibus cōtinetur. quia & Reges eius, vt vidimus, Imperatores Romani fuerunt; & ipsorum propria potentia tanta, vt Imperiū nomen ei haud male conuenire crederetur, quando & nunc, licet imminutis admodum opibus, vel exterorū confessione, adeo fortis potensque est Germania, vt vnica nullum hostem timeat. Boter. polit. Reg. vbi de Imperio Rom. & in eundem sensum Laonicus lib. II. Hist. Turc. τὸ το πὸ γένθ & c. εἰ πωτὸ φρονοίη ὑφ' ἐνὶ ἀρχοντι ἠγεμόνι, ἀμάχητόν τε ἀν εἶη καὶ πολλῶν κράτιστον. Durat igitur ei hodieq; hæc inter gentes reuerentia, vt Reges alij Christiani, quamquam potentissimi, Germanis Imperatoribus & locum ante omnes, & nomen eximium relinquunt. licet enim Rex Franciæ in suo Regno Imperator dicitur, vt scribit ex Baldo Cassan. in Catal. gloriæ Mundi parte V. Confid. XXX. eumque titulum etiam quidam prætulere: neq; desunt Galli, qui eum soli suo Regi debitum esse pugnent, quos refert & refutat Limnaeus in Notit. Franc. lib. II. cap. I. licet etiam Haraltus Imperatorem se appellauit in Saxo Iutico, non longe ab vrbe Vedila, apud Stephan. in Saxon. pag. 204.

† HARALTR: KESSOR: VAN: TANMAURK:

HARALTR: KESSOR: VAN: TANMAURK:

id est

HARALDUS IMPERATOR VICIT DANIAM.

unus aut alter Castellæ Regum *Imperatores Hispaniæ* vocari voluerint, Limn. Ibid. & Munster. lib. II. Colmograph. constat tamen vulgo, olim hoc omissum esse, & paucos fuisse qui fecerint, nec propterea Regna eorum *Imperia* appellata; sed hoc vocabulum adeo mansisse Germanicæ nationi proprium (vtiq; post captam à Muhammede Constantinopolin) vt hodie quum *Imperium* audiunt homines, non de alio quam præcise hoc nostro cogitent.

X. Huiusigitur & hoc modo accepti *Sacri Romani Imperii* quinam *Electores* appellentur, omnes sciunt. Ab officio sane nominantur; sed vna dignitatem atque ius eminens significante vocabulo. Quippe sua lingua non *Electores* simpliciter, sed *Electores Principes*, *Churfürsten* appellantur. Antiquitus quum Senatus aut Miles Imperatorem faceret, multi erant electores, nemo vocabatur. In Germanico Imperio, si qui se nominabant *Electores*, priusquam hoc Collegium certo iure constitutum esse credimus, eos nec à maioribus accepto, ne ad posteros ituro titulo suspicor vsos; sed ad memoriam atque ostentationem illustris negotii gesti: quam ad formam quidam se *Victores Triumphatoresque* nominarunt, vt Iustin. in præm. Instit. Hodie nemo gerit titulum Electoris præter eos Principes qui ad nostra vsque tempora *Septemviri* à numero vocabantur, quibus nuper accessit Dux Bauariæ. Igitur superuacaneæ in re notissima diligentia parcentes, ab hoc nomine ad reliqua transimus.

XI. Superest enim, vt quid *Ecclesiæ*, de qua nunc agitur, & *Cardinalium* vocabulis sit intelligendum, exponamus. Ipla quidem *Ecclesiæ* vox Græcorum est, *cœtum* significans qui euocatur, ex eo quod in plerisque omnibus ciuitatibus Græcorum, quoties de grauioribus Reip. negotiis erat agendum, iussu magistratum populus per præcones, ex suis quisq; ædibus, in locum publicum (theatrum iis concionibus impleri solitum fuit, vt Actor. 19, 29) euocabatur. Eam vocem placuit Spiritui Sancto dare Christiano cœtui, quem per Euangelii præcones, ex hoc mundo in æternum illud sapientiæ bonitatisque diuinæ theatrum euocauit. Hæc ergo prima est apud Christianos nominis acceptio, mox, uti solet, ad alia quæ-

quædam significanda translati, donec etiam domibus, in quibus sacra fiunt, communicaretur. Nos potiora, & ad propositum maxime facientia contemplemur. Vniuersim *Ecclesia* dicitur, & est, omnis ille cœtus constans ex omnibus vere Christianis, quos collegit atque collecturus est DEUS à principio vsque ad finem mundi, quos ipse nouit 2. Tim. 2, 19. Et hæc est illa uere sancta, non habens maculam & rugam, Ephes. 5, 27.

XII. Eam interea non inepte diuidunt in *Triumphantem* & *Militantem*, donec & ista confectis stipendiis præmia summi Imperatoris bonitate constituta emereatur. Hæc militans iterum non vniuersa modo vocatur *Ecclesia*, *Catholicam* Græci dicunt; sed etiam partes eius, uel exiguo numero congregatas, pro se quamque *Ecclesias* appellamus, sed *particulares*: adiunctis nominibus locorum quibus continentur, urbium puta, uel etiam domorum, ut quæ domi erat Philemonis, pr. Epist. ad Philem. Hoc de genere fuit etiam Romana. Et hæc quidem *Ecclesia* tota, & in partibus, uere Christiana *Ecclesia* dicitur. Discedit ab hac non nihil ea significatio, qua simul etiam impios hypocritas nomine *Ecclesie* complectimur, quia uidelicet ab hominibus interim discerni nequeunt. Itaque res aliter à scientibus, aliter ab ignaris appellantur. Quod ab Homero animaduersum, apud quem alia dii rebus induunt, alia homines nomina. Sane in sacris literis (ea uero diuina lingua est) non est *Ecclesia* uocabulum eius cœtus, qui etiam *fornicarios*, *adulteros*, *molles*, *masculorum concubitores*, & ceteros quotquot Sessione VI. cap. XV. Synodi Trident. enumerantur, sibi fidei suæ communionem coniunctos profitetur.

XIII. Atqui idem ille cœtus tum *Catholica* uult *Ecclesia*, tum etiam *Romana* salutari: licet hæc inter se repugnent, ut eadem & Vniuersalis & Particularis sit *Ecclesia*. At uero ex particulari Regno Romano, & aliis multis, Albano puta, Veienti, deinde grandioribus, Siculo, Macedonico, Syriaco & ceteris conflata est potentia, quæ tot imperia continens singulariter tamen *Romanum Imperium* uocabatur! Respondeo non eandem esse rationem *Ecclesiarum*, & *Regnorum*. Hæc *animalia* sunt, ut philosophus uetus dicebat, *natura sua carniuora*, quo pertinet uisum Daniel cap. VII. Nec enim grandia fierent imperia, nisi alia deglutissent. "Οφεισὶν μὴ φάγη ὄφιν, δράκων ἔρυσσεν". Sed ista quæ sic absorpta sunt, sibi pereunt, absorbentibus alimento cedunt, atque ita magnitudinem augent corporum, quibus applicantur. Non idem fas Christianis *Ecclesiis* ab inuicem consumi Galat. 5, 15. & si tentaretur, perisset prior, quæ aliam deuoraret. Sed & hodieque præter Romanam, etiam Gallica, Veneta, & aliæ pluri-

plurimæ cum Romana communicantes, *Ecclesie* nominantur. Præterea difficile est intelligere quemadmodum Rom. Eccl. Cardinales vocentur. Quia enim in aliis Ecclesiis, quæ nihilominus hac nuncupatione gaudēt, nulli audiuntur, præterquã in ea quæ Romę nunc residet, Cardinales particularis Ecclesiæ esse viderentur. at certum est, haberi Vniuersalis velle.

XIV. Nec ea quadrat huc Ecclesiæ significatio, quam inter plures proponit Marsilius Patavin. in defens. Pacis part. II. cap. II. his verbis: *Papa Romanus & Cardinales ipsius, ex vsu quodam obtinuerunt dici Ecclesia, & Ecclesiam aliquid egisse aut recepisse, cum iidem aliquid egerint aut receperint.* & Zarabell. de Schismate Innoc. in Sexto modo. Sequeretur enim res oppido inficeta dictu, Cardinales Ecclesiæ Romanæ esse Papæ & Cardinalium Cardinales. Quum igitur eo deuentum sit, vt rerum intellectus cum vsu vocabuli pugnet, & tamẽ omnino præsentis disquisitionis intersit, Ecclesię cuius hodie Cardinales sunt, distinctã ab aliis significationem erui; dicimus S. R. Ecclesiæ appellatione nostra ætate cœtum illum intelligi, qui Romæ residens, tamen Ecclesiæ Catholicæ titulo denotari postulat.

XV. Cardinales etiam quomodo dicantur, inuestigatu non est facilimum. Quum enim ista vox adiectiua sit, rei quam notare vult naturam occultat verius quam exprimit. Neq; minuit obscuritatem, quod, vt loquuntur, substantiuatum est vocabulum, potentia quadam imitatrice DEI, *ὁς καλεῖ τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα*, ad Rom. 4, 17. Inquirendum igitur est in originem nominis & veriloquium. *Cardo* proprie quid sit, nemo tam ignarus est Latinæ linguæ, qui nesciat. sed per metaphoram eæ quoq; rerum partes, quæ præstant aliis motum, ipsæ immobiles, vt cardines foribus, eandem nomenclaturam sortiuntur. Ita *cardines in celo* dicunt præcipua quædam puncta, Ortum dico Septentrionemq; & his opposita. quorum respectu etiam in agrorum limitatione *cardines* nominabant. Patric. Senens. de Institut. Reip. lib. III. Tit. VI. haud dubie ex Columella, & ceteris quos citat Dalechamp. apud Plin. 18, 34. Tales etiam apud Tertullian. de Spectac. cap. III. *cardines balteorum* in Circo, & *Cardines Theatri* eiusdem libri cap. XX sed & spatium coloniæ condendæ captum ita dimetiebantur. Turneb. in Ciceron. Orat. I Agrar. Hinc & rerum *cardo* Maroni, & M. Fallius in eo *cardo* tibi veretur, dixit pro eo quod est, *ex hoc rotares pendet*, Erasmi. Chil. I. Adag. XIX. vbi & Quintilianus loca de *cardinelitium*, ac caussæ.

XVI. Neque defuit suum numen *cardini*, nam uti *Tanum à ianua*, *Limentinum à limine*, ita *Forculum & Cardam à foribus & cardinibus*

B

appel-

appellavit Romana superstitione, Tertullian. de Corona cap. XIII. f. Apud Ouid. Fastor. 6, 101. editur *Carna*.

Prima dies tibi Carna datur. dea cardinis hæc est.

Sed Grapald. de partib. ædium lib. I. citans hunc versum *Carda* scribit. Nec temere dixeris vtrum sit melius. Soluere quæ litem potuisset tabula marmorea nos eludit priores tantummodo nominis eius literas exprimendo CAR. de quibus non ambigitur. est in Inscript. Gruteri pag. 133. in Junio. *Cardam* tamen affirmant, qui *Cardonem* siue *Cardoniam* denominatam inde tradiderunt. Vide S. Leandri vitam, ex interpretatione Io. Horion editam à Christoph. Brovvero. In Augustini lib. IV. cap. VIII. de Ciu. DEI editum est *Cardea*, sed emendandum videtur ex Tertulliano, vnde locum esse desumptum apparet. A voce cardinis adiectiuum natum est *cardinarius*. Hadrianus I. in sua collectione Presbyteri tom. Concil. *Diaconum Cardinarium Urbis Romæ*.

XVII. Sed ab eadem origine frequentius auditur *cardinalis*. Sicuti cardinales numeros appellamus, à quibus numerandi fit quædam conuersio, vti post decem, dicimus vndecim, duodecim; post viginti, vnum & viginti, duo & viginti, & sic deinceps. Pariter *Virtutes* appellant *Cardinales* quatuor, ad quas ceteræ possint referri. eodem modo *Ventos* totidem *Cardinales* posuerunt, vt qui inter hos nominantur, vulgo ab his accipiant nomina, quibus sunt interpositi. Ex quibus vltro sequitur vt *Cardinalis* appellatio quamdam etiam præstantiæ dignitatisque significationem includere videatur. Sed eorum quæ retulimus, nihil absolute cardinale dicitur. Nostri vero *Cardinales* sic plerumque vocantur, non addito substantiuo, quemadmodum & alia quædam, licet vagam significationem habeant, & à substantiuis suis restringendam, quoties sola ponuntur, id tamen vna dicere putantur, quod plerumq; solebat hæc comitari. Sic quia sæpius *merum vinum*, quam *imperium* si forte, aut *mendacium*, aut tale quid auditum est, existimari cepit ad significandum vinum merum sufficere, si tantummodo *merum* exprimatur. Similiter ergo, de *Cardinalibus Diaconis & Presbyteris & Episcopis*, quam de *ventis*, aut *numeris*, aut etiam *virtutibus* fuit sermo, factum est vt Cardinalium protinus ex sacro ordine aliquis subintelligeretur. Omnes igitur qui hodie S. R. E. *Cardinales* appellantur, in totidem classes, Episcoporum dico, Presbyterorum, Diaconorumque distribuuntur.

XVIII. Ceterum hæctenus eruta nominis significatio, tamen nos ad cognitionem rei, de qua suscepta est inquisitio, nondum liquido perducit.

No.

Nomen enim antiquum est, res recentior: & quibus olim attributum fuit, eorum successores id hodie non habent, qui vero habent, alterius cuiusdam generis sunt, origine, forma, sine diversi. Id vero quoniam diligenter distingui refert, laborem non recusabimus, initia Cardinalium, officium, dignitatem, rationem denique omnē ad Carolum usque Magnum repetentes, cuius ætate videtur insignis tum in cetera Romana Ecclesia, tum in Cardinalium rationibus facta mutatio. *Cardinales* igitur *Ecclesiasticos* à *cardine* nominatos esse non ambigitur: at originationi confessæ non eadem ab omnibus causis adiiciuntur. Quidam enim *καρδινάριος* exponunt: tamquam *Cardinalis* & *Cardo* idem foret. *Cardinales sunt cardines ostii S. Ecclesie*, ait And. Barbatia & Nic. Amici promotor fidei in Basil. Concilio requisivit *Areiatensem Cardinalem ob dignitatem suam, qui cardo Ecclesie diceretur &c. ne fidem opprimi pateretur*, & ipsum Concilium Sess. XXIII. *Tales instituantur*, qui sicut nomine, ita re ipsa cardines sunt, super quos *ostia vniuersalis versentur, & sustententur Ecclesie*. & Cardinalium Senatus apud Otton. Frising. de gestis Frider. Imp. 1, 57. *per quos tamquam per cardines* (in vet. Ed. est *cardinales*) *vniuersalis Ecclesie voluitur axis*. Hi videntur maiorem Italici sermonis, quam Latini rationem habuisse. Italis enim quandoque *cardinalis* *cardinem* notat. Volgarizzamenti dell' Albertano cap. XXXVII. *Si come puscio si volge nel suo cardinale, così lo pigro si volge nel suo letto*. Vnde il Vocab. degli Academici della Crusca, dictos ait *Cardinales, quasi cardini della chiesa*.

XIX. Melius alii *καρδινάριος* à *cardine* dictos indicant *Cardinales*. nec ii quidem uno modo. Leo IX. Epist. 1, 32. *Papam facit cardinem totius Ecclesie, & inde Clericos ipsius ait vocari Cardinales, cardini vtiq; illi, inquit, quo cetera mouentur, vicinius adherentes*. plerisque ad nouissimum Cardinalium genus respicientibus, *Cardinales à cardine dicti sunt, quia sicut cardine regitur ostium, ita Ecclesia bono eorum concilio*, ait Prateus ex not. in cap. Sacrosancta ad fin. 22. Dist. & Archidiac. in cap. vbi periculum §. hoc sacro de elect. lib. VI. *Cardinales ita nominantur*, ait Turcremata de Eccles. 1, 80. *quia sicut cardine ostium regitur, vnde dicitur Prouerb. XXVI. ostium vertitur in cardine, ita dominorum Cardinalium consilio & assensu summus Pontifex regit, disponit atque gubernat vniuersalem Ecclesiam*. Commodius paulum Sylvestrina summa: *Cardinalis dictus est à cardine, super quo (intellige cardine) quiescit ostium aperiendum & claudendum*. Sed solidissima ratione nititur M. Ant. de Dominis de Republ. Eccl. 4, 5, 5. *Sententia: Cardinalis dictus est olim, siue Episcopus (imo etiam Metropolitanus)*

siue Presbyter, siue Diaconus, qui non per modum prouisionis, aut transcursum, ac fere mutuo, & ad tempus, sed qui fixe, ac permanenter, uti proprius iam illius Ecclesie minister, ad exercenda Ecclesiastica ministeria illius Ecclesie propria, in ea legitime collocaretur & inthronizaretur: quae collocatio, seu inthronizatio, etiam incardinatio solet vocari, ut mox apparebit. Et sic ibid. num. 15. & 16. in locis Gregorii legas Diaconum in Ecclesia Syracusana, & alium in Neapolitana *cardinandum*. & num. 19. in verbis Ioannis VIII. *Frotharium alii Ecclesie praeponendum*, & incardinandum. num. 20. Iuo Carnotensis Presbyterum, iam plene in locum alterius, qui Ecclesiam suam refutabat, ordinatum, & affixum, dicit fuisse incardinatum. & num. 21. Onuphrii de incardinatione secum sentientis verba recitans, addit: *Longe à vera Cardinalis significatione aberrant, qui praecipuum aliquem, & principalem hoc nomine volunt in hac, quam tractamus materia, significari. Fixum enim per modum cardinis, & insitum, ac stabilitum significat, ut est à me iam plene explicatum. Hactenus vir omnis Antiquitatis Ecclesiasticae longe peritissimus. Nec abit ab hac sententia Card. Baron. Annal. CXII, 9. ubi diaconos Cardinales dictos ait, quod licet diuersis in locis agerent, vnius tamen Ecclesie eiusdemque primariae cardine continerentur.* & Annal. DCCLXIX, 12. de Cardinalibus: *Episcopis: qui proximos Vrbi habentes Episcopatus, assisterent Pontifici, eidem S. Rom. Ecclesiae annexi cardini.*

XX. Apparet ex superioribus deriuata à cardine adiectiua, nec proprie, nec semper, significare principalem. Adde quod *cardineum* etiam *supraliminarium* interpretatur Onomast. vetus apud Turneb. Aduers. 28, 5. Et in alio Vet. Onomast. Græcolat. quod H. Stephanus edidit, *cardinalis* exponitur *γινγλυμοί* &, nulla dignitatis significatione. Ne dicam quod Hispanis eadem vox *Cardenal* & purpuratum Ecclesie Romanae, & vibicem, sine liuorem ex contusione significat. Quia tamen factum est, ut id quod fixum erat, vel ideo praecipuum haberetur, quod tamquam mensura erat eorum quae ad hoc referebantur; etiam praestantiam quamdam haec vox signare cepit, ut vidimus in ventis, punctis caeli, virtutibus. Quin & clerici ordinarii fixiq; hospitibus aut extraordinariis praelati sunt, ut hinc etiam *Cardinalium* appellatio, quae proprie fixum notabat, etiam dignitate potiore significare inciperet. Hanc ergo interpretationem, vera illa & antiqua blandiorem, ambabus exceperunt postea. An autem eo sensu etiam *Asiane diaceseos praefecti* vocati sint *Cardinales*, quia libro Officiorum Theodosii, qui in hoc laudatur, careo, dubitare cogor. Apud Cassiodorum quidem Variar. 7, 31. verba quia:

prim

principem nostrum cardinalem obsequiis nostris deesse non patimur, sic interpungo: quia principem nostrum cardinalem. Intelligo principem officii, qui titulus etiam in Vet. Inscriptione legitur, apud Gruter. pag. DXCIX, b. & de quo ibi sermo est, quem Theodericus Rex vocat *cardinalem suum*, quasi fixe familiarem, domesticum, & constanter apud se commorantem, quod & verba indicant, quem *obsequiis nostris deesse non patimur*.

XXI. Prævaluit autem, ut dixi, opinio quam etiam Spiegel in Lexico Iurid. retinet. Nam teste Sipontino, ait, *Cardinalis & Cardineus, præcipuum significat*. Et Cœlius Rhodigin. Antiq. Lect. 10, 1. *quidquid est in re quolibet præcipuum, eo nomine (cardinalis) nuncupatur rectissime: nam & in foribus scapi dicuntur cardinales, quibus sustentantur, regunturque in primis*. Et concedit Viretus de factis Successor. Christ. 5, 25. antiquis idem fuisse *cardinale* quod *præcipuum*. Sed præter ea quæ paulo ante ex M. Anton. de Dominis attulimus, Onuphrium Panuinium in lib. de Cardinalium titulis existimantem, *Presbyteros & Diaconos Cardinales dictos esse eos, qui præerant aliis Presbyteris vel Diaconis eiusdem Ecclesiæ, quasi Principales Presbyteri vel Diaconi in illa Ecclesia*; refutat Bellarmin. Controv. V. lib. I. cap. XVI. tribus argumentis. quod eodem tempore plures reperiuntur Presbyteri Cardinales in eodem titulo: quod aliquando septem tantum Romæ fuerunt Diaconi Cardinales: quod etiam Episcopi Cardinales dicuntur, qui certe non habent in sua diœcesi alios inferiores Episcopos. Ex his primam rationem firmant etiam scripta Baronio Annal. DLIX, 3. Adde longe firmissimum argumentum, quod tam sero nominari *Cardinales* ceperunt, nequæ quum cepissent, ita celeriter hoc nomen vulgoque frequentatum est, ut solent ea, in quibus aliquid putatur esse dignitatis. Quæ enim potest ratio probabilis adduci, cur in omnibus primorum à Christo sæculorum scriptoribus, Cardinalium nusquam compareret appellatio: non in sacris literis: non in antiquis patribus, ne historicis quidem siue Christianis, siue etiam gentilibus, qualis est Marcellinus. qui tamen turbas in creatione Pontificis ætate sua excitatas memoriæ tradidit, quod hodie quidem posset nemo, sine multa Cardinalium mentione. Et tamen Bellarminus approbante M. Ant. de Dominis de Rep. Eccl. 4, 5, 36. testatur, *Cardinalium institutionem esse antiquissimam: & ab ipso tempore Apostolorum inchoatam*.

XXII. Scribunt quidem à Marcello Papa I. Cardinales esse constitutos propter baptismum & alia, sed in Actis eius, quamquam res per scripta sit, nomen illud non comparet. *Viginti quinque Titulos in Urbe*

constituit, quasi diœceses, propter baptismum & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex Paganis, & propter sepulturas martyrum. Sic quidem ista leguntur in Baron. Annal. Eccl. CCCIX, 4. Ne quidem in ficta Constantini donatione *Cardinales* vocantur, sed tantum *Viri reuerendissimi Clerici*. Ideoq; credidere quidam à Pontiano vel Syluestro Cardinalatum institutum esse, quorum est Episc. Torcellanus, de Cardinal. legit. creatione scribens. & profecto Sylvester *gradus in ecclesiasticis ordinibus constituit*, vt scribit Io. Stella Venetus: sed hi neq; ad Episcopos, neq; Presbyteros, neq; Diaconos, olim ab ipsis Apostolis institutos ordines pertinent. Erasmus quidem in D. Hieronymi vita, fabulã de patris eius Cardinalatu reiiciens, dubitat, *an illis tēporibus Cardinalis titulus fuerit repertus*. & Spiegelio in Lexico Iuris *minime errare videntur, qui nomen Cardinalis, D. Hieronymi etate fuisse ignotum tradunt*. Sane Carthaginensi Concilio, quod sub Arcadio & Honorio celebratum est, Philippus & Afellus presbyteri Romani quum subscriberent, *Cardinalis* vocabulum non addidere.

XXIII. Mihi vix occurrit antiquior mentio, quam circa annum Christianum DLX. quum Ioannes Papa III. *dilectis filiis Cardinalibus clericis Apostolorum* scribens, significat se Ecclesiam illam *Titulum Cardinalem* constituere. Baron. Annal. DLIX, 3. Sane M. Ant. de Dom. in Rep. Eccl. 4, 5, 7. quædam à Syluestri temporibus repetita testimonia producit, sed de illorum fide subdubitans. Id certum est Cardinalium nomen ab initio nihil aliud significasse quam ordinarios atque fixos in certa Ecclesia clericos; neque Romanæ tantum Ecclesiæ fuisse Cardinales suos, sed etiam aliis titulatis. Vide Baron. Annal. CXII, 5. Sic autem vocabantur *ad publica ministeria Ecclesiastica erecta & deputata. numerant etiam oratoria ad priuatas tantum orationes, seu sepulturas fabricata*, vt probat de Domin. 4, 5, 5. Itaque legimus Cardinales Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Mediolanensis, Compostellæ & aliarum. Vide de Dominis 4, 5, 19. & 20. Illustris locus est in Epist. Gregorii I. Papæ 1, 81. ad Archiepiscopum Caralitanum. *Liberatus, de quo nobis tua fraternitas indicauit, quia Diaconi fungi perhibetur officio; si à decessore suo non factus est Cardinalis; ordinatis à te Diaconis nulla debet ratione præponi, ne eos quos consecrando probare cognosceris, reprobare supponendo quodammodo videaris. Prædictum itaq; Liberatum, quem reprimendus ambitionis inflat spiritus, omni instantia a sui prauitate compesce, & vltimum inter Diaconos stare constitue; ne dum se illicite præferri contendit, immeritus loco, in quo nunc situs est, iudicetur. Cuius tamen si obedientia fueris inuitatus, & eum post hæc Cardinalem facere volueris, nisi*

Pon-

Pontificis sui cessionem solenni morem eruerit, abstinendum ab omni eius incardinacione meminere: quoniam æquitate conuenire non ambigis, vt aliis seruare non differas, quod ipse quoque seruari tibi desideras.

XXIV. Citantur in hunc sensum à M. Ant. de Dominis 4, 5, 8. & seqq. multa & egregia testimonia; sed hoc vnum descripsimus, quia multarum rerum huic pertinentium minime ambigam explicationem continent. Videmus enim 1. Cardinales non tantum à Papa creari. 2. nec in Romana tantum Ecclesia. 3. Clericos alicuius Ecclesiæ non Cardinales, vltimos inter sui ordinis alios stare. 4. Incardinari in alia Ecclesia neminem, qui fuerit in alia cardinatus, nisi priore obligatione soluta. 5. Plures in eadem Ecclesia Diaconos fuisse Cardinales. Vnde consequitur quod Baronijs dicit Annal. CCCLXXVIII, 66. *neminem esse Cardinalem sine titulo*, olim hoc valuisse, neminem esse Cardinalem, præterquam in sua Ecclesia. Vnde & Dist. XXIV. cap. Presbyteri: Gelasius Papa mandans Cælestino, vt alia in Ecclesia Presbyterum ordinet: *Sciturus, ait, cum Visitator iste nomine, non Cardinalis creasse Pontificis*. Gregor. Epist. 1, 77. & 79. *Cardinalem Sacerdotem* vocat. quod Glossa in cap. Relatio XXI. Quæst. I. exponit *proprium Episcopum*: id quidem ipso indicante textu, per verba in fin. cap. posita: *Quicquid vero de prædicta rebus Ecclesiæ, &c. proderis, liberam habebis* (quippe vt sacerdos proprius) *modis omnibus facultatem*. Idem Gregor. Epist. 12, 2. *Cardinalem Episcopum* in sulæ Corcyræ, opponit ibi tum agenti Episcopo Isauriæ, qui hostibus imminenti- bus Corcyram confugerat. Vide de Dominis 4, 5, 17. ex quo etiam 4, 5, 21. verba hæc nostra facimus: *Habemus itaque quinam sint proprie Cardinales; Clerus nimirum proprius cuiuscumque Ecclesiæ in ea fixus, & titulatus, atque ordinarius: & quæcumque Ecclesia esset collegiata, illa plures etiam in se continebat Cardinales, siue Presbyteros, siue Diaconos, siue etiam Subdiaconos, vti pluribus ibi demonstrat Auctor. Nec aliud cogitare Besoldus debuit, quum in Thesauro suo Practico notaret de Cardinalibus, initio creatos ab Episcopis.*

XXV. Ex prædictis apparet, quatenus aberrauerit Duarenus 1. sacr. 13. cardinales existimans olim fuisse presbyteros, non quosuis, sed qui in maiore Ecclesia, quam cathedralem dicimus rem diuinam cum episcopo suo facerent. Et Carol. Molinaus in Decretal. lib. I. tit. XXIV. de off. Archipresb. cap. II. & III. in his verbis: *Ab antiquo Romæ Cardinales non erant aliud quam parochi vel principales sacerdotes cuiusque parochiæ, vt patet per omnes libros & Epistolas Gregorii I. Idque verum esse, fatetur Card.*

Caluin. Les-
Iurid. Go-
thofr. ad
l. 8. C. de
Episc. &
Cler.

Flg.

Florentinus, (à cuius morte nondum effluxerunt CXL. anni) in suis Consiliis cons. LXII. ubi ait: *Cardinales Romanos fundatos esse in omni iure parochiali in locis suorum titularum, qui tituli non erant aliud quam nomina parochialium Ecclesiarum, ut patet apud Gregorium Magnum, & in Concilio tempore suo Romæ habito. Adde Vocabular. Academicorum della Crusca voce Cardinale. Item quod ex epistolis scholarum Pragensis, Oxoniensis, & Parisiensis in Centur. XIV. Lection. Memorab. refert Wolfius: Cardinales ante Gregorium non fuisse.*

XXVI. Atqui hoc idem est, ac si quis adfereret, olim in Academiis non fuisse *Professores Ordinarios*, quia vix reperitur ita subscribere solitus, quod tamen hodie fiat à plerisque. Per simile enim negotium est. Fuerunt uti *Cardinales Clerici*, sic *Ordinarii Professores*, illi ab Ecclesiæ, hi ab Academiarum initio, & poterant ita vocari, si retulisset. Nihil autem referebat, donec *cardinales & ordinarii omnes fuerunt*. Postquam autem *supernumerarii quidam sunt additi*, qui nomen quidem *Clericorum atque Professorum ferrent*, de cetero potestate, honore, stipendiis inferiores essent; ad horum differentiam, uti nunc *Professores Ordinarios*, h. e. verbis l. 2. C. de Professor. lib. XII. *inter statutos connumeratorum*, ita olim *Clerici Cardinalium* expresserunt nomen. Ea res evidenter docet, quomodo factum sit, ut *Cardinalis* in Clero dignitatis nomen esse ceperit: & cuius maxime generis modique ea fuerit dignitas. Tale quid observari potest ab aliis etiam factum, olim atque nuper, similibus causis. Quamdiu nulli vocabantur *Consilarii*, quam *ordinarii illi & fixi*, simpliciter sic appellabantur. at hodie quosdam vocant *wirckliche Râthe* / quasi *Consilarios ipso opere (in actu positos vocare licet ex l. 2. C. ut dignit. ordo seru. lib XII.)* postquam alii nomine tantum *Consilarii* extiterunt. In Romana Republica, quoad nemo *Consularis* aut *Prætorius* vocabatur, quam qui magistratum talem gesserat, causa non erat mutandi vocabuli. Ast ubi sub Cæsaribus magistratum insignia multis concessa sunt, qui numquam gesserant, priores illi quo se ab horum æqualitate separarent, libentius *Consulatu*, vel *Prætura* *functi* saluabantur. & erant nimirum digniores. Ita præfectos ararii Nero delegit *Prætura perfunctos*, ut ait Tacitus 13, 29, 3. quo excludebantur illi generis alterius *Prætorii*. Eadem ratio est *Ordinarios Consulium*, ut in Gruteri Inscript. CCCLXI. 1. *Consuli Ordinario*. Hi enim omnes præcedunt. contra in quolibet ordine *supernumerarii ultimis sociantur*, ut habet l. 7. C. de

de proxim. sacr. scrin. lib. XII. quod etiam in Cardinalibus supernutnerariis procedere dicit Cassan. in Catalogo Gloriæ Mundi Part. IV. Confid. XII. verl. *Licet,*

XXVII. Cardinalium igitur officium quod antiquitus, & quæ nominis eius dignitas fuerit, vidimus. Qui vero factum sit, vt Romanæ tantum Ecclesiæ Cardinales hodie nominentur, abolito aut obscurato in ceteris hoc nomine, despiciendum est. In omni administratione publica receptum est, vt in pari nomine graduque eminere videantur, quæ in regniis urbibus exercentur. Huc pertinent omnes prærogatiuæ, quas Imperatores Veteri Nouæque Romæ Urbibus attribuerunt Constantino-politana Ecclesia omnium aliarum *est caput. l. 24. C. de Sacrosanct. Eccl. Vt legum originem anterior Roma sortita est, ita & summi pontificatus apicem apud eam esse nemo est qui dubitet.* Nov. IX. pr. Igitur & Ecclesiæ illæ ceteris honoratiores fuerunt. eodem auctu creuerunt Episcopi harum, & cum Episcopis suis Clerus. Postquam ergo Romana Ecclesia cunctis prælata est, Episcopus eius, commune antea Papæ nomen sibi proprium fecit. ad hoc exemplum appellatio Cardinalium ab solis Romanis vindicata est. Ea fuit confessio publica, Romano Clero hoc dari, vt quolibet alio credatur esse loco atq; honore prior. Et hæc tenus vera est Volaterrani sententia, lib. XXII Anthropolog. *Sicut Urbis Romæ Episcopus cæteris præstabat; sic etiam Clerus Romanus, cui titulus Euaristus primus omnium distribuit, iidemque Pontifici de communibus fidelium rebus adsistebant: Cardinales deinde, id est, magni aut principales posteris appellati.* Adde de Dominis de Republ. Eccles. 4, 5, 29. & 30.

XXVIII. Sic igitur Episcopus Romanus, & mox, quum interim Episcopos etiam Cardinales instituisset, illi Episcopi reliquis omnibus, & ad eundem modum Presbyteri Presbyteris, Diaconis Diaconi sunt antepositi. Nondum autem ad eam peruentum violentiam, vt contra iuris omnirationem, Diaconi & Presbyteri Episcopos præcederent. Imperatores quidem naturæ ordinem sequuti, distinctionem graduum ita sollicitè seruarunt, vt non modo superioris dignitatis ordinarium administrantem, à quolibet inferioris gradus administrante; sed ne honorarios quidem, ab inferioris gradus vacantibus antèiri paterentur. Verba l. 2. C. vt dignit. ordo seru. lib. XII. *Vacantes autem post administratores venientes, non omnes iam omnibus honorariis credimus præponendos: sed eos vocantes illis honorariis, qui similem adepti sunt dignitatem &c.* Igitur diutissime Romanos Cardinales Presbyteros celsisse omnibus Episcopis reperimus.

C

Car-

Carthaginensi Concilio, cui etiam D. Augustinus interfuit, subscripserunt ante omnes Carthaginensis Episcopus Aurelius, tum *Faustinus Episcopus Ecclesie Potentinae prouinciae Piceni legatus Ecclesie Romanae*. tum alii Episcopi ad CCXVII. post omnes *Philippus presbyter Ecclesie Romanae, & Asellus presbyter, legatus Ecclesie Romanae*, leguntur. Sed & in ipsa Roma visitatum fuisse demonstrat M. Ant. de Domin. de Rep. Eccl. 4, 5, 40. & locis ibid. indicatis. Hoc magis illustris est stupor existimantium Hieronymum fuisse Cardinalem, quod Augustinus scripsit; *quamquam Episcopatus presbyterio maior sit; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est*. quorum errorem non tantum de Dominis 4, 5, 56. sed etiam, & bene quidem redarguit Card. Baronius in Annal. Eccles. CCCLXXXII, 25. attamen ne Cardinalium praesentium causam vlla parte faceret difficiliorem, argumentum efficacissimum dissimulauit. Patet enim, ea quibus maiorem Augustinus Hieronymum fateatur, de Cardinalatu non posse accipi, quem iis quidem temporibus infra dignitatem Episcoporum fuisse constet.

XXIX. *Cardinalatus ergo non est gradus aut dignitas, aut officium, aut ministerium seorsim; sed iuxta nostros Monarchicos, addit aliquid Episcopo Presbytero & Diacono; quo hi superent alios Episcopos item, Presbyteros & Diaconos non-Cardinales, de Dom. 4, 5, 1. Et quamquam subinde, vt fit, incrementa caperet ea dignitas, tamen nec à gradu, nec ab officio cleri proprii & ordinarii exorbitabat, & in Sacramentis administrandis, populo erudiendo atque expiando, & similibus occupabatur. erantq; Cardinales Romani Pontificis (vt in singulis quibusque Ecclesiis suorum Episcoporum proprii canonici) & consultores & adiutores, vt docui lib. II. cap. IX. ait idem Auctor 4, 5, 22. Et hunc quidem Cardinalium statum primaeuum appellat Natio Gallica in apostolis datis quibusdam Cardinalibus appellantibus ab eiusdem conclusione &c. qui locus, quam illustret atque confirmet multa superius indicata, sicut in Catalogo Testium Veritatis est editus, adponetur. Domini Cardinales duplicem habent statum; primaeuum, cuius retinent titulum, & principales dignitates in collegiatis Ecclesiis in curia Romana obtinent, vel sunt curati parochialium Ecclesiarum eiusdem: & illo respectu dicuntur Cardinales, id est principales: quod non competit eis specialiter. sed multae sunt Ecclesiae sicut Rauennatensis, quae obtinentes dignitates in ea nominant (nominat) Cardinales: & ita est in pluribus aliis Ecclesiis, in diuersis regnis & prouinciis: & ex ista praesenti institutione eorundem primum officium fuit, & est, & esse debet, confessiones audire, predicare, & etiam baptizare. &c.*

quoad:

quoad presbyteros. Episcopi vero Cardinales hæc habent facere & exercere in suis diœcesibus: & isti de suis titulis, & eorum emolumentis isto respectu debent & tenentur contentari: sicut alii de clero in singulis diœcesibus. Et si non valent quantum valuerunt, limitent expensas, vel petant sibi provideri debere per modum canonicum: Et ille status fuit in charitate fundatus, & valde humilis & benignus. Alium statum assumpserunt: quando Constantinus imperium Occidentale contulit Ecclesie Romanæ.

XXX. Hæc verba satis ostendunt Cardinales propiorum temporum longissime differre ab his, qui fuerunt ab initio; nomine tantum & titulis ecclesiarum similes. Nam fabula de Constantino, quæ nunc etiam vt meretrix anus à prioribus suis amatoribus exploditur, nō vetat, quo minus sit verissimum, accessione Principatus temporalis factū esse, vt alium statum Cardinales adsumerent, vel potius nouum quoddam Magistratum genus nasceretur, quod ab Ecclesia nomen, à sæculo typhum atq; potentiam haberet. Ita præuidere magis, quid sequuturum esset, quam prohibere pii patres Carthag. Concilii potuerunt, ne fumosus typus sæculi in ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humanitatis deum videre cupientibus præfert, induceretur, quæ verba sunt literarum ad Papam Cælestinum. Quod vero de Dominis dicebat Romani Pontificis adiutores fuisse Cardinales, de Romano Episcopo, non autem vt esse vult Vniuersalis accipiendum est. Quod enim domini Cardinales sunt Papæ coadiutores (verba sunt Nat. Gallicæ) sicut dicit qui appellat, nihil est, super falso se fundat: quia Episcopi sunt Papæ coadiutores, & supra Cardinales de iure. Cardinales vero sunt tantummodo Papæ consultores. Et patet, quia dudum Cardinales qui bene seruierant, in eorum remunerationem & pro quiete ipsorum promouebantur ad Cathedrales Ecclesias. Patet etiam quod maiores esse videantur Cardinalibus: quia cum florebat temporalitas eis data, Ecclesia & generale concilium statum eorum limitauit ad XXV. familiares tantum: Episcoporum vero ad triginta.

XXXI. Summa huc redit: ad ea usq; tempora, quibus Papatus imperio multarum prouinciarum auctus est, quod factum sub Carolo præcipue, clerum Ecclesie Romanæ, quem Cornelius (Papa) vocat suum Presbyterium, tunc idem collegium fuisse eiusdem officii (intellige vt Consilarii Episcopi Romani essent) & autoritatis, quod nunc est Cardinalium. & tamen Episcopos quoscunque fuisse hoc Presbyterio superiores. vt ait de Dominis 4, 5, 35. vbi scribit Pammeliū annot. in Cyprian, Epist. XLVI. num. X. hoc non potuisse non aperte fateri. Quod autē ex subscriptione Cōcilii Ephesini

Baron. Annal. CCCCXXXI, 83. colligere voluit, eos qui proxima connexionione capitis Cardinales presbyteri nominantur, aliquid habuisse, quo interdum praeferentur Episcopis; à M. Anton. de Dominis de Republ. Eccles. 4, 5, 28. commoda explicatione declinatur. Et obseruatu dignum est, quamdiu mansit imperium Græcorum in Italia (ne miremur exosum id fuisse Pontifici) vt Papæ, sic Cardinalium ambitioni fuisse positos obices; neque tum etiam creationem Cardinalium liberam Pontifices habuisse. Nisi enim ita foret, frustra diceret Baronius Annal. DCCV, 2. studuisse Græcos Ecclesiæ Rom. dominari, *agentes nimirum, vt in collegium S. Cardinalium allegarentur Orientales, qui etiam, opera Exarchorum adnitente, crearentur Romani Pontifices.* & num. seq. *Vides pariter hac de caussa, a. eludendum eundem conatum Imperatorum, fuisse ordinationes Cardinalium Rom. Ecclesiæ infrequentes, quo necessitatem vitarent iidem Romani Pontifices Imperatorum obsequi volantati.* Quod mihi videtur intellectu difficile. Nam si cogere potuit Pontificem Imperator, vt Cardinales Græcos faceret, magis profecto potuit, vt faceret omnino Cardinales.

XXXII. At suæ thesi seruiens Baronius, non tam ea tempora, de quibus scribebat, quam sua cogitabat. Tum enim adhuc aliud non erant Cardinales, quam Clerus ordinarius, Presbyteri, inquam, & Diaconi, quibus carere non potuit Ecclesia. Deinde, quod dixerat Cardinales Græcos introductos esse, vt Pontifices fierent, id vero vanum est, nisi morem respicias ex solis Cardinalibus & per solos Papam eligendi. quorum neutrum in vsu tum fuit, sed hoc quidem diu post introductum; illud, vt ex Cardinalibus vtiq; Papa fieret, in Concilio demum Romano cui præfedit Stephanus Papa, sicut ipse Baron. tradit Annal. DCCLXIX, 4. Potestatis etiam Græcorum in id Collegium illustre testimonium præbent eodem à Cardinale narrata Annal. DCXXXVIII, 9. *omnes primates Ecclesiæ, h. e. vt ipse quidem explicat, presbyteri & diaconi Card. ab Isacio Patricio missos in exilium esse.* Apparet ergo tum satis adhuc humiles fuisse Cardin. immo à splendore præsentis tam remotos, vt demum sub Zacharia Papa ceperint *presbyteri Cardinales plebi sibi subiectæ, præclariori veste induti, debitum prædicationis persolvere.* Baron. Annal. DCCXLIV, 6. Et Ibidem etiam videas postponi Episcopis: nec eo de ordine circa hæc tempora fuisse dubitatum constat ex subscriptione Concilii Rom. sub Paulo Papa, quam vide apud Baron. Annal. DCCLXI, 11. & 12. Ibi enim adeo Episcopi omnes ante Cardinales subscripserunt,

vt

vt etiam deficiente loco in eo chartæ spatio, quod nomina continebat Episcoporum, adscripta sunt hæc verba: & alii qui capere non possumus. & mox in medio Cardinalium: Hos sequitur subscriptio trium Episcoporum qui residui erant, sed defectu chartæ absque subscriptione præterierant Subiunius &c. & post hos: Sequitur subscriptio reliquorum Cardinalium. vbi videmus quam diligenter cautum fuerit Episcoporum dignitati.

XXXIII. Hæc igitur fuisse videtur ad ætatem vsque Caroli conditio eorum qui *Cardinales* vocabantur; quo tempore magna quidem facta est mutatio, sed non tanta, vt non adhuc idem institutum, licet varie iam labefactatum agnosceretur: donec eo prouectum, vt subinde rem ab sua natura longius abripiendo, Cardinalium quidem appellatio sit ex antiquitate reliqua, ceterum instituti seruiat toto genere dispari. Plane enim factum est, quod exemplo nasi docet Aristoteles, quem ait à iusta constitutione figuraq; leuiter exerrantem, esse tamen nasum: si longius producas, de formem quidem illum, sed tamen nasum fore: si longissime, ne nasum quidem. etiam si fortassis consuetudinis causa hæc ei nomenclatura relinquatur. Neque leuibus argumentis probauit M. Ant. de Dominis, id quod de Republ. Eccles. 4, 5, 32. decidit, Cardinales hodiernos non esse veros Cardinales. Liqueat igitur in presenti negotio non illos de quibus hæcenus egimus Cardinales respiciendum; sed nostros istos, quorum hanc definitionem colligo: Cardinalis est sub appellatione Ecclesiastica secularis Princeps à Papa constitutus, & hunc solum superiorem bona fide agnoscens quod Capite IV. plenius demonstrabitur. In compendio Vocabularii della Crusca, Cardinalis sic describuntur: *Oggi Principi Ecclesiastici; del cui numero si crea il Pontefice.*


XXXIV. *Præcedentiæ* vox exponenda restat, non satis Latina, sed qua nos vt cogit inopia eius linguæ. nam *prærogatiua* rem non satis declarat. Græci varie expresserunt, *πρωτοκλισίαν, πρωτοκαθεδρίαν, πρεσβίαν* appellantes. Causa ex eo quod apud hos vt varias in Respublicas diuisos, sæpe quæri de istis rebus potuit: apud Romanos propter magnitudinem imperii nec ab externis mouebatur controuersia, nec inter ipsos oriri potuit, bene distinctis ordinibus, & componente quaslibet huiusmodi rixas vel nutu Senatus aut Imperatoris. Apud Suetonium Caligula, *quum audiret forte reges, qui officii causa in urbem aduenerant, concertantes apud se super cœnam de nobilitate generis, exclamauit, Εἰς κόινον ἔστω, Εἰς βασιλεύς. Vnus dominus esto; vnus Rex.* ita statim lis ista quieuit. Apud Turcas similis quædam est obseruatio. Igitur quum An. MDLXXXVII.

de Sessione in templo S. Francisci, quod Galatæ est contra Constantino-
polin, inter legatos Cæsaris & Regis Galliæ certaretur; Turcicus Impe-
rator non modo templum omnino claudi voluit, vt refert Mich. Heberer
in Seruit. Ægypt. 2, 50. sed etiam acinacem nudum ante fores appendi,
cum præconio, qui de controuersia ista vel vocem mittere fuerit ausus,
supplicio adficiendum. Arum. de Comit. cap. VII. num. 13. Kirchner.
de legat. 2, 5, 85.

XXXV. Non ergo mirandum, *precedentia* non reperiri apud Ro-
manos aptum vocabulum, quum de ea certare ne Reges quidem sine-
rentur. Ceterum omnia quæ diximus nomina, nostra quoque, *Sürgang/
Sürzug/ Borsis* / ita comparata sunt, vt tantummodo speciem eius ho-
noris singula notent, genus non notent. Ergo synecdochice *Preceden-
tiam* nominamus, priorem & honestiorem locum in eundo, stando, se-
dendo, etiam subscribendo, & si quæ sunt similia. Vocem autem hanc
vel ideo præ ceteris adhibemus, quod ferme gentibus Europæis omni-
bus communis est, nobis quoque, qui tamen propriis non carebamus;
& ab vtraque concertantium parte recepta. Hactenus igitur sufficien-
ter declaratum opinor, quo sensu verba singula sint in hac quæstione
intelligenda, quam *de S. Rom. Imp. Electorum, & de S. Rom. Ecclesie Cardi-
nalianum precedentia* instituiimus. Nec enim refert quod istæ notæ *S. Rom.
Eccl.* sic etiam, *Sancta Romana Ecclesia* efferuntur. Quamquam enim
Sancti sit origo & definitio alia, 55, 10. Inst. de R. D. tamen sub eodem
genere continentur, nam & sancta quodammodo diuini iuris sunt. Ibid.
Ergo etiam promiscue tribuitur Ecclesiis vtrumque Epitheton. e. g.
sanctam Ecclesiam legimus l. 45. C. de episc. & cler. & Nou. VI. cap. 2.
sacras ecclesias: & frequentissime coniunctim *Sacrosanctas Ecclesias*, de
quibus etiam Titulus est Codicis.

XXXVI. Consequens igitur est, vt proxima tractatione, Quid sit
Precedentia: Quibus ex iuribus causis que competat: & Quibus mo-
dis lites ex hac causa progenitas solui expediat, re-
feramus.

DIA-



DIATRIBE II.

Breuiarium.

(1.) **P**raecedentia describitur. (2.) inuestigationi caussarum praecedentia, praemittitur explicatio iuris, (3.) diuini & humani, cuius subdiuisio affertur. (4.) subordinatio inferiorum ad superiora iura, (5.) exemplis declaratur. (6.) (7.) (8.) a dubitationibus vindicatur, & ad praesens institutum accommodatur. (9.) iure diuino honor debetur Deo & iis, quos Deus vult honorari, (10.) (11.) iure naturali iisdem, & qui praecellunt potentia, sapientia, benignitate. (12.) iura gentium diuersa. (13.) (14.) Haec quoque praecedentiam potentioribus decernunt. (15.) & Ditiorebus, (16.) & Nobilioribus. (17.) (18.) & Senioribus ac tempore prioribus. (20.) hinc Consuetudo attenditur. (21.) & Possessio. (22.) (23.) (24.) Diæcesis & Territorium. (25.) Sapientia. (26.) (27.) (28.) (29.) Sapientia civilis, pra Theologica, & alia. (30.) Sapientia bellica. (31.) Facundia. (32.) (33.) (34.) Ius civile quatenus attendatur. (35.) (36.) (37.) Legatorum in hoc genere officium. (38.) (39.) (40.) & rationes aequalitatis non prodenda. (41.) (42.) (43.) (44.) an armis hic & bello locus? (45.) Regulae ad definiendas quaestiones de praecedentia, generaliores. (46.) Quatenus Lex statuat de praecedentia. (47.) an Arbitrio locus. (48.) vsq; ad fin. Potestas, quam Domi sua quisque in exteros & surpat, aut declinat.

Honorem in potestate non honorati, sed honorantis esse situm, praecentore Aristotele resonant omnes. Atqui haec sententia non nisi de falso honore vera est. Is autem est indebitus. Quod vero debetur, non est in potestate debitoris. Nisi forte tributum, vectigalque & timor sunt in potestate reddentium. Nam eadem haec omnia lege sancuntur Rom. 13, 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Hoc igitur etiam obtinet in Praecedentia. nam & ipsam esse honorem quemdam non ambigitur. Vnde & Strabo, bonus cum primis Auctor, pr. lib. XIV. Codri posteris apud Ephesios fuisse quosdam honores indicans, primo statim loco ponit *κατὰ πλάκην ἐν ἀγῶνι*, hoc est, vt Curtius 10, 4, 7. vocat, *priores in Theatro sedes.* & apud Agell. 2, 2. Taurus Philosophus honores vocat nihil aliud tum intelligens, praeterquam istam praecedentiam.

I. Sit igitur Praecedentia loci dignioris honorifica occupatio. Vbi ergo Praecedentia conspicitur, ibi erit haud dubie loci dignioris occupatio. non autem uti haec simpliciter, ibi statim etiam Praecedentia. igitur honorificam occupationem diximus, ab aliis & alienis separantes. Sunt enim diuer-

attributione
impereberendi
ufus, hner.
dRe-linegang/ is ho- ceden- o, se- hanc omni- umus; icient- stione
Cardi- Rom. enim odem Ibid. e. g. cap. 2. as, de
uid fit is mo-
1A-



diuersi præterea modi, natura, casu, necessitate, ignorantia, temeritate, ludo, misericordia, religione, officio, in gratiam alterius. In corpore nulla pars censetur capite dignior. nec tamen ossa, cutis, caro, quæ partes eius faciunt, à *natura* honoris causa ibi collocantur. Inter pares etiã, vbi sortes permittitur, qui priorem locum adeptus est, non ideo præcedit, quia honoris causa concessus ei locus, sed quia *casu* quodam oblatus est. *Necessitatis*, non honoris causa rusticus ille supremo mensæ loco adscendit, quum ab Henrico III. Angliæ Rege iuberetur. Per *ignorantiam* in Regia sella reponi passus est Alexandri miles gelu torpens, qui *diu nec vbi requiesceret, nec à quo esset exceptus, adgnouit. tandem recepto calore vitali, ut regiam sedem regemque vidit, territus surrexit*, Curtius 8, 4, 16. *Temeritati* vero adscribitur, quod in eiusdem Regis folio quidam obscurus homo confedit; tormentis adhibitis nihil confessus, *præterquam quod leuitate quadam animi impulsus id fecisset*. Arrian. de expedit. Alex. lib. VII. Per *ludum* etiam aliquando iocumque Principes viliori persona sumta, suæ dignitatis schema iubent alios induere, locumque occupare. Romæ receptum fuisse *festis Saturno diebus regnum lusu sortiri*, scimus ex Tacito 13, 15, 2. *Misericordia* vero, non honor fuit, quod Cæsar C. Oppio comitanti *seper syluestre iter, correptoque subita valitudine, diuersoriolo, quod vnum erat, cecidit: ac ipse humi ac sub dio cubuit*. Sueton. Cæs. cap. LXXII. *Religionis* causa Romani seruis habitu herili epulantibus ministrabant Saturnalibus. Vide Lips. Saturn. Serm. 1, 2. Est & vbi *officii* causa iubetur aliquis præcedere, meritoque fuit irrisus Comitis cuiusdam tubicen, qui per vadum incertum præire iussus, hero locum eum deberi contendit. Floresta Espann. 6, 6, 3. & simili quid legas Ibid. exemplo VI. & 9, 3, 2. itemq; alibi, vbi mulierem vecturus equo suo, iubebat illam honoris causa priorem ascendere. Quod autem dixi *in gratiam alterius*, tale est. Samuel Saulem in solenni sacrificio, quum essent inuitati uiri septuaginta honorati, supremo loco collocauit, quia nimirum destinatum à DEO Regem sciebat: sed adiunxit ei famulum, qui Saulem erat comitatus, non ipsius illius, sed Saulis gratia. Hæc ergo, & si quæ sunt alia, nihil ad præcedentiam illam pertinent honorificam, & perinde contentiosam. Est enim ex eo genere bonorum quæ pulchra voce *εὐμαχία* nominat Aristoteles, de quibus certari sueverit, nam de veris bonis non dimicatur.

II. Quibus autem ex causis Præcedentia competat, inuestigari plurimum refert. Ceterum in hac inquisitione citra solidæ scientiæ fructum nostra se fatigabit industria, nisi prius veluti natales eius & incunabula,

ab

ab ipso ortu repetimus. In præcedentiæ natura honorem includi significatum est. *Honorem autem sibi sumit nemo* (aut frustra ac nulliter sumit) *nisi qui vocatur à DEO*, vt nos docet Epist. ad Hebræos cap. V. Ab hoc igitur sicuti cetera bona & commoda, ita Honor omnis proficiscitur. Nam in eius potestate sunt omnia, neque habet quisquam quidquam, nisi quod ab hoc quomodocunque acceperit: ne quis gloriatur. 1. Corinth. 7. Hinc Dominus noster repræhendit eos qui honorem *sive gloriam ab inuicem accipientes, gloriam quæ à DEO est*, negligunt. Ioan. 5, 44. Id igitur æquum est habere vnumquemque, quod ei dederit DEVS. Dedit autem & hoc, quod præstari vult ei ab aliis hominibus. Peccat ergo qui retinet, quod alii debitum esse intelligit. intelligere autem voluntatem DEI non posset, nisi DEVS eam declarasset. Id vero factum est duobus modis, per Scripturam & Rationem. Atq; hinc omne Iuris discrimen exoritur. Ius enim *iustum* est imperantis. Et quamquam vniuersum procedat à DEO, qui solus vere imperat, tamen ex diuersis promulgandi modis in Diuinum & Humanum diuiditur.

III. *Diuinum Ius* vocamus DEI voluntatem atque iussa Veteri ac Nouo Testamento expressa: *Humanum*; DEI voluntatem atq; iussa Rationi mandata, cuius è principiis ius illud educitur ac profertur. Estque secundum societatum differentias quadruplex; à maxima per intermedias descendens ad minimam. Propter societatem enim ius est: nec sine iure potest esse societas. Est igitur Ius Humanum Naturale, Gentium, Ciuile, Oeconomicum. *Naturale*, quod natura omnes homines docuit. *Gentium* quo non quidè omnes gentes vtuntur (quæ falsa opinio Naturalis etiam iuris obscurauit notitiam) sed quod multarum simul gentium consensu approbatum est. *Ciuile* sibi quælibet Respublica format; *Oeconomicum* familia. Non autem fas est per inferiora iura tolli, quod superiori aliquo bene constitutum est: sed constitui tantummodo, quod superiori est præteritum. Quidquid iure diuino præceptum est, humano male mutatur. Sed quia non omnia, quæ vitæ huius varietas recipit, diuinis Scripturis definita sunt, magna illa, & dignitate prima generis humani societas è ratione quædam addidit sibi conuenientia. Quod ab hoc relictum fuit, gentes aliis forte politiores & ratione melius vsæ, constituerunt quædam Naturali Iure non expressa; sed quibus suam societatem, ad regenda, quæ forte emerferant negotia, viderunt indigere. Atqui eadem illa nondum potuerunt eo descendere, vt singularum Rerum publicarum commodis atque necessitatibus leges adæquarent.

D

IV. Quæ-

IV. Quælibet igitur Ciuitas siue Respublica sibi seorsim iura constituit, quæ Ciuilia nominantur. Sed ne sic quidem omnibus vitæ negotiis occursum est, quin & Patres familias suæ quisq; domi multa constituere cogentur. Quo autem minor est quæque societas, eo ius ab hac introductum angustius atque infirmius est. Nam nec eos qui sunt extra societatem tenet; & quoties alicui etiam illa societate comprehenso molestum est, ad superiora prouocatur. Subordinata enim quum ita coniungantur, vt superioris Iuris conclusiones sint inferioris principia, vbi cumq; iuris alicuius incusatur iniquitas, hoc nimirum agitur, vt aliud ab hoc introductum demonstretur, quam ex principiis debuisset. Exemplo ista declarentur. Herus secundum ius Oeconomicum seruo vt vult vtitur, quia instrumentum heri seruus est, immo ipse est (Exodi 21, 22.) vt docet Polit. 1, 4. Aristoteles. Sed vbi serui durius habiti ad statuas Imperatorum confugiunt, ciuile ius ipsis subuenit; *interesse* dicens *Reipublica, ne sua re quis male vtatur.* §. 2. Inst. de his qui sui vel al. iuris sunt. Ostenditur igitur illius Iuris Oeconomici in sua familia conditorem, ex eo principio, fas esse cui libet sua re vt i velit vt i, perperam elicuisse; licere etiam male vt i.

V. Talis est quædam & aliorum ratio. Cæsar iure ciuili, quod tum in potestate erat aduersariorum impar (Hirt. de Bel. Gall. 8, 55.) ex iure gentium dignitatem defendit armis: & *legatos mittere licere* postulat, de Bel. Ciu. 3, 19. Iure gentium ager iuxta Rhenum armis quæsitus Romanorum erat, quamquam vacuus relinquebatur. Sed Anfibarii sedis inopes, quum occupare hunc prohiberentur, naturam appellabant: *sicut cælum diis, ita terras generi mortalium datas: quæque vacuæ, eas publicas* (magnæ illius Reipublicæ Mundanæ) esse. &c. Tacit. 13, 55, 4. & similis est locus in H. Muti-Chronic. German. lib. XXII vbi Suedi, Suitsensium progenitores perinde agunt aduersus Gallos. At à iure naturali vix prouocatur. qua enim in parte repræhendi potest? at qui appellat, repræhendit. Ius Diuinum, vt i rectitudine sanctissimū, ita dignitate Princeps est. vnde bis *stultum esset illud admonere, ab eo appellare fas non esse, quum ipsum sit, quod appellatur*, vt huc subducam verba l. 1. §. 1. ff. à quib. appell. non licet. Et ad hoc quidem vnde cunque licet appellare, siue præteritis omnino intermediis, siue iniuste pronunciare visis. Filius Christianus patris idololatræ, & in ethnica ciuitate, sacrificare iubenti v. g. penatibus non paret. Pater oeconomico iure postulat fieri quæ imperasset. In ciuili iure præsidium non est filio, quod superstitionem illam fouet. Ius

gen-

gentium se non interponit, quin suo quæq; ciuitas arbitrato sacra faciat; modo ne contra ius gentium. Naturale DEUM quidē coli debere nouit, sed litem non dirimit. illo enim modo coli debere DEUM diceret pater, negaret filius, Naturale ius non posset ferre sententiam. Ergo ex iure Diuino filius excipit; DEO magis parendum esse quam hominibus.

VI. Hæc verissima sunt ea quidem, sed difficultate non carent. An non enim omne ius à DEO procedere diximus? Ita est. Repertum autem aliquod ius iniquum fuit in his exemplis. ergo & illud iniquum à DEO? Nequaquam. Quid igitur est? qualia sint isthæc omnia, scio: an etiam explicare possim nescio. conabor tamen. Ius nihil aliud esse quam iustum ostendimus. Iustum autem atque iustum, non origine modo, sed & significatione prima, immo etiam forma, idem est à iubendo utrumque, & pari gradu. nam à iussi non iustum modo procedit, sed etiam iustum. sicut ab iusti, iustum. Quod ergo iustum, siue iustum erat, quia fieri oportebat; factum est, ut quod fieri oporteret, iustum esse diceremus. Nec sane alia causa vlli actui potest assignari cur iustus sit, quam quod iustus est. Amare patriam, colere parentes, timere DEUM iustum est, quia DEUS iussit. sine hoc non esset iustum. nec enim iustum est hæc facere vermem aut plantam; non enim iussit DEUS. Nec DEUS ideo iussit, quia iustum erat: sed iustum iubendo fecit. Non enim erat ante DEUM aut extra hunc aliqua mensura, quam respiciens ille iusta iuberet: sed ipsius voluntas atque iustus, quidquid est iustum, esse fecit. Iussit autem idem ille DEUS, quid in omnibus atq; singulis actionibus fieri debeat, idq; ius est iustumq;. Ab hoc aberrare Scriptura Sacra non potest. Ius Naturale vix potest. Inferiores leges, eas dico, quas gentes, ciuitates, familiae condunt, quoniam circa ea versantur negotia, in quibus plerumque adfectus dominantur, sæpe à DEI voluntate declinant. Hoc vero quoties fit, non Ius conditur, sed iniuria. Ius tamen appellatur ab eo quod esse debuerat. Hinc l. 10. ff. de Iust. & Iure, Prætor *ius reddere* dicitur, *etiam quum iniuste decernit*. Talia sunt quæ notaui ad Flori verba 3, 23, 3. *bona quamuis male capta, iure tamen.*

VII. Plane sicut *aurum* dicimus interdum, scientiam, artem, etiam qua non sunt. Aureos habens duos eiusdem magnitudinis, non dubitaret dicere, aurum se habere. Cur igitur hic illo (si res ita ferret interrogari) deteriore colore habet, & in pari magnitudine pondus dispar, præterea non æque obsequitur flectenti? Quia videlicet est deterioris auri. Cur autem dicit hoc deterius illo? quia illud purius, hoc argento multo

permixtum. Hæc dicenti vulgo adstipularemur omnes, & tamen falsum est, aurū alterius nummi esse purius. nam & in altero quidquid omnino est auri, purum aurum est; quod accessit alius metalli, non iam impurum aurum, sed nullum est. Eodem modo se res habet in scientiis & artibus. Si quis Physica forte professus, aliqua in parte errat à vero, is profecto error nullam facit Physices partem. Si quis Medicinam ita facit, vt aliqua in parte commodam curationem sua culpa non adsequatur; non peccauit ille per artem, sed per artis vel ignorantiam, vel neglectum.

VIII. Adplicemus hæc ad præsentem quæstionem. Quidquid in scitio hominum Diuinæ voluntati cōueniens est; vt ab eo iussum, iustum est: quod humani iudicii errore, aut adfectus alicuius mangonio est additum, neq; iussum, neq; iustum, adeoq; nec ius esse potest. Ideoque illa pars est, à qua potest & debet appellari: nam à iusto iure non debet. est enim illud iussum summi iudicis. Impingitur autem in his omnibus, iure dico, scientiis, artibus, quoties aliquid cōstituere vult homo, cuius tamen eæ partes non sunt, sed tantummodo id investigare, quod iam à DEO prouisum atque constitutum est. Id vero in vnaquaque re tantum esse vnum necessum est. Vnum, duo, tria, coniunctim sumta, sex sunt, non plura nec pauciora. & sic res habet etiam in innumeris numeris: quos si colligit vnam in summam Arithmeticus, quod exiuit, non factum ab Arithmetico, sed inuentum est. Vt ex argento sic tractato scyphus fieret, sic erat constitutum, priusquam vllus esset argenti faber. Sic etiam vt lex iusta sit, nisi fuerit à DEO iussa, parum erit, etiam si omnes tribus iusserint. Iubendi enim potestas solius est DEI proprie: post hunc quicumq; videtur iubere posse, DEI mandatarium agit. Ergo si fines excefferit mandati, frustra conabitur: iniussum iniustumque erit, quidquid iusserit, nisi iusserit hoc iuberi DEUS. Erunt quibus videbor in meditationes excurrisse à proposito alienas. Non ita est. Iuris omnis ordinem atq; differentias excuti oportuit, quo nobis expediretur duplex vtilitas, facilius inueniendi, quo iure nitatur Electorum, quo Cardinalium præcedentia; & certius diiudicandi, vter ordo iustioribus allegationibus vtatur.

IX. Considerabimus ergo prius ex iure diuino, deinde Humano, causas, ex quibus præcedentia cuique debeat. Palam autem est eam deberi honorationibus. Igitur secundum quæ simpliciter honor competit; secundum eadem competit & præcedentia. Honor autem omnis soli DEO competit ante & supra omnia. Secun-

Secundario his, quibus ille vult tribui. Quem enim Rex honorare desiderat, ut Axuertes Mardocheum (Esth. 6, 6.) eum honorent necessum est, qui Regi debent obedientiam maxime si omnimodam, & sine exceptione. & si Rex sit, quem neque fallere quisquam, nec effugere, nec vi repellere possit, qualis profecto DEUS est. Vnde constat, quod & ante diximus, honorem non esse in potestate honorantis. Vult ergo DEUS honorem tribui se-
timentibus Pl. XV. *Regibus*. 1. Pet. 2, 17. *Dominis*. 1. Tim. 6, 1. *Magistratibus*. ad Rom. XIII. *Parentibus*. Exod. 20, 12. Deut. 5, 16, 27, 16. & passim. *Senibus*. Leuit. 19, 32. *Doctoribus pietatis*. 1. Tim. 5, 17. Act. 5, 34. Quod si quis alius conatur ex Iure Diuino præcedentiam defendere, meminerit textus esse producendos claros atque perspicuos, & intelligere volentibus faciles. Nam per talia quædam; *Ecce duo gladii hic*, & similia, nulla cuiquam adferri dignitas potest. Neque sane Papa pervenisset ad hanc potentiam, nisi longum valere iussis duobus illis, infinitas gladiatorum myriadas concitasset.

X. Ius Naturale itidem docet omnes homines honorem habere iisdem quos enumerauimus, etiamsi forte nesciat hæc aliquis in Scriptura Diuina contineri. Nam & ratio, licet sanæ citra reuelati verbi auxilium DEUM cognoscat minus; tamen hæcenus nouit, ut sciat DEUM esse primum honorabile: & quos ille velit honore adfici adficiendos esse. Consentit igitur (*συνευδοκεί* ad Rom. 1, 32.) legi DEI; simul atque DEI legem intelligit. Ex suis autem principiis educit, à DEO quemdam characterem his impressum esse, quos honorari velit. Character autem ille nihil aliud est, quam similitudo quædam cum attributis Diuinis, quæ cognoscit ratio. cum his præcipue tribus, potentia, sapientia, benignitate. His quos præstare putat ratio, eos ducit honore dignissimos: non tamen æqualiter, sed ut à quoque maxime censet se ad consequendum finem suum adiuuari. Habet autem propositum sibi finem, bene viuere. Bene vero viuere non videtur, qui viuat incommode. Sunt igitur apud omnes in precio, qui distribuunt hominibus commoda. tales autem sunt potentes, sapientes, benigni. At præ ceteris potentes honorantur. nam benignitas sola, quia conatum magis commodandi quam facultatem habet, amari potius quam honorari solet. Sapientiam autem, nisi & commoditates adferat, alii mirantur tantum, alii etiam contemnunt: honorant quidem pauci, & tenuiter. Ad potentiam, etiam quum sola est, honore prosequuntur. Plus enim honorant, quod & metuunt. & quia nocendi etiam facultas potentibus adest, à multis ne nocere velint, honorantur.



Est enim hoc quoq; commodum, paucioribus incommodis conflictari. Nec ab alia causa Veiuem Romani, & Calecutenses diabolum, & Aygnanos suos Indi coluerunt. Quum vero potentiae benignitas coniungitur, paratus à nolentibus honor est. Si & sapientia accesserit, iam nihil ad eximios honores desiderabitur. Igitur Naturali iure parentes honorantur, quibus in sua familia vel est vel esse debet nihil potentia, sapientia, benignitate comparandum. Ab eadem causa honorantur, qui magnas opes habent, nam & his in manu est aliorum promouere commoda. Sed hoc naturali iure non habet locum, inquit. Cur enim? quia procedere hæc à iure Gentium statuerunt Romani conditores. Quid faciam? Non possum adhæc aut breuius, aut etiam verius respondere, nisi per hoc verbum, nego. Neque hoc arroganter aut contentum dictum putes. Absit à studioso veritatis hæc temeritas! Sed possum certissimis argumentis demonstrare, quidquid l. 2 3. 4. & 5. ff. de Iust. & Iure, tribuitur iuri gentium, demtis quidem paucissimis, Naturali tribuendū fuisse. Ceterum instituti ratio hoc agi in præsentia nō patitur. Sit igitur interim hypothesis. & ad proxima quæq; pergamus.

XI. Igitur quemadmodum DEO charissimos honore prosequi nemo dubitaret; ita & honoramus eos qui potentibus sunt proximiores. Sunt autem dupliciter, alii genere nimirum, alii ministerio. Cognatos igitur & adfines potentium honorant; atque hinc origo est nobilitati. Honorant & ministros, vel quia partem habere videntur potentiae, vel quia potentes flectere possunt varie, vt hoc vel illo modo agant. Hoc iure volebant iam olim Diaconi Romani Presbyteris anteponi: *Nos sumus, inquit* (apud Bernard. de Confid. 4, 5) *qui in omni celebritate Papæ coniunctiores assistimus* &c. Potentia quædam est etiam fortitudo animi cum robore coniuncta corporis. Ergo & hos honorari natura docuit, quorum virtute à ferarum aut hominum improborum iniuria imbecilliores defenduntur. qualis fuisse dicitur Hercules. Ad Sapientiam (generalius nempe sumtam) pertinet, quod honorantur, quotquot ad præcipuum aliquod commodum comparandum, aut incommodum amoliendum ingenio suo vitam adiuuerunt in tantum quidem, vt artium vtilium reperiatores, eloquentiae puta, fabricæ, nauigationis, apum, medicinæ, vini, panis; nonnulli etiam rerum non perinde præstantium: ob talia merita deorum adscripti numero existimentur.

XII. Acceptam à Naturali Iure rationem gentes amplius ad sua negotia extenderunt. Inde iura gentium orta, iura, inquam, hinc enim
erro-

errorum omnium in hoc negotio fons scaturit, quod vnum esse gentium omnium ius existimarunt; atqui id non multo sapientius adseritur, quam si quis vniuersum per orbem ciuile ius vnum atque idem esse pugnaret. Igitur nobis id ferme ius spectatur, quod Europææ gentes, & si forte, viciniore alia consensu receperunt. Ex hoc non bella quidem orta, sed bellandi iura quædam vsu docente introducta, constituta, atque sancita sunt. Natura enim satis monet, corpus suum suorumque, atque facultates defendere. quod nos docere vel pueri possunt, qui certe non ad ius vllum gentium prouocantes pugnant, de quo nihil dum accipere apotuerunt; sed ad ius naturale, cuius non sunt penitus expertes. In Alcibiade Platonis primo Socrates de iusto cum adolescente illo disputans, admonet eam puerilium vocum atq; contentionum quibus sæpe pueros alios dixisset, iniustos esse, atq; iniuriam facere. respondetq; Alcibiades: *Non per Iouem ignorabam ego, sed perspicue notam me iniuria adfici.* Sed aliam in occasionem dilatis, quæ suscepti negotii non exigit necessitas, quid circa Præcedentium Iura Gentium nobis notiorum constituerint, consideremus.

XIII. Hæc igitur etiam Naturam sequuta honorem istum *Potentibus* decernunt maxime. Igitur vbi adest potentia, præ ceteris rationibus, primo plerumq; loco diligenter allegatur, vt Anno MDLXIV. Romæ factum narrat Marselaer in Legato 2, 32. à legatis Gallis Hispanisque, singulis coram Pontifice, *sui Regis potentiam titulo &c.* magnifice extollentibus. Et ibidem testatur Auctor, *obseruatum esse antiquitus, vt imperio, opibus, & viribus minor, maiori concederet,* idque Liuianis exemplis probat. Igitur in Constantiensi Concilio Legatus Erici Regis trium Regnorum Septentrionalium, ex ea causa præferbat Regem suum de primo loco certandi ius habere. *Veteri enim gentium more est constitutum, vt secundum nature ordinem, teste Philosopho, qui potentia & auctoritate digniores essent, priori quoque loco haberentur,* Kirchner. de iure &c. Legati, 2, 5, 91. Et dignior & præferendus is est qui potentio rem vel maiorem (quod non omnino probamus additum) *districtum obtinet,* Auctor *Benedekens von der freyen Reichs-Ritterschafft* Session. num: 60. 418. & 483. ex Fichard. Consil. 77. n. 15. tom. I. Sic etiam Cosmus contra Ferrariensem inter cetera *ditionis amplitudinem* allegat, apud Thuan. lib. XXXI, & XLII. Et Hispani præferri volunt Anglis, quibus olim cesserant, frustra negante licet *abrogare Ordinis Prærogatiuam perpetuam & eternam* Iohnstono *Rei. Britann: Lib. VIII.* parum igitur est apta *ἀποτμή* ista *Besoldi* Col.

Colleg. Polit. Classe. II. Disp. V. th. 36. *Potentia etiam nonnulla habetur ratio.* habetur enim maxima. aut indicetur, quamnam ergo res alia Protectores Angliæ nuperos orbis venerationi commendauerit: aut quæ Romanam vim antiquitus, aut Parthicam. ne plura memoremus. Nam potentia facile gignit dignitatem. Vnde multorum est opinio, nobilem, Baronem &c. effici, qui feudum tale habeat. Vide Petr. Fritz. de nobilit. conclus. XVI. Iosiam Nolden. de stat. nobil. cap. V. num. 71. Sicut in Imperio Principes hoc modo fiunt omnes Episcopi, cum nonnullis Abbatibus. *Qui enim à principe de ducatu aliquo inuestitus est, dux solito more vocatur. Qui vero de Marchia, Marchio dicitur &c.* Feud. lib. II. Tit. X. quod etiam in Gallia procedere multis docet Limnæus in Notit. Franciæ lib. IV. cap. I.

XIV. Multo igitur maiorem dignitatem habebit, qui potentiam absolutam propriamq; fuerit adeptus. quod accidit omnibus Imperiis atque Principibus, qui ex humilibus & obscuris, clari honoratique per potentiam euaserunt. Quoniam autem potentia non leue indicium est, *omnimoda libertas*, igitur hanc etiam dudum allegant Vnitæ Prouinciæ, Besold. Colleg. 2, 5, 34. & faciunt eo quæ Bodinus habet de Repub. 1, 9. sub fin. Gallus etiam Orator cum Hungarico contendens sic agebat, Hungariæ Regem tributum dare Turcæ, Gallum æquo iure amicitia cum eo agere. querebat igitur. *Ob nicht ein Greyer einem Tributario vorgehe? Heberer. Ægypt. Seruit. 2, 50.* Potentia porro non tantum æstimatur à mole ditionum atq; virium; sed etiam à facilitate iuuandi lædendiue. Propterea *Vicinitatis* etiam habetur ratio. *qui enim longius absunt, non possunt ad opportunitates temporum occurrere,* ait Auctor Rhetor. ad Alex. cap. III. Inde sororis filiam Christinam monuisse Carolus V. fertur, cum Gallo amicitiam colat. quamquam enim sit ei bonus auunculus & potens, prius tamen perdi eam à Gallo propter vicinitatem (Lotharingiam enim tenebat illa) quam à se seruari posse. Hanc ob causam Persæ, vt vicini Principis, legato datam à Turca præcedentiam præ Christianis adfirmat Marselaer in Legato 2, 32.

XV. Potentiam suo quasi iure *diuitia* sequuntur. ergo & hæ retinent locum suum potentia non specie tantum, & ornamentis, sed etiam vi nonnulla. multa enim possunt diuitia. Amulius cum Numitore patrias opes ita partitus, vt ipse thesauros, frater Regnum haberet; inopem prædiues, opum præsidio facile Regno expulit. Plutarch. in Romulo cap. IV. Igitur & ex hoc capite præcedentia conceditur. Menoch.

con.

consil. 126. n. 26. tom. III. Ceph. consil. 615. n. 137. lib. V. quos citat
 Bedencken von der Rittersch. Session num. 418. Inde natas etiam
 Oligarchias ostendit Aristot. Polit. 5, 1. & sine diuitiis mancam esse
 nobilitatem. *Videntur enim, ait, ii esse nobiles & generosi, quibus maiorum
 virtus & diuitiæ suppetunt.* Immo nobilitas oritur ex diuitiis, vt quidem
 ignorat nemo. Et Genuæ quotannis decem ex plebe nobilium adici
 numero, *ò per ricchezze, ò per virtu,* testatur Relatione della Rep. di Ge-
 noua in Thef. Polit. 2, 22. Bodin. de Repub. 2, 6. Sed & Romæ sine censu
 nemo Senator aut Eques esse poterat. Ouid.

--- dat census honores. Et:

Inde grauis index, inde seuerus eques.

Item Horatius:

Et genus & formam Regina pecunia donat.

Recte igitur inter ea quæ præcedentiam tribuunt, etiam opes nominan-
 tur à Paschalis in Legato cap. XXXIX.

XVI. Nobilitati quoque cur debeatur præcedentia, facile est intelli-
 gere. siue enim à sanguine procedat potentium, siue à beneficio, poten-
 tiæ quemdam colorem trahit, & quos illustrat, fauori atque ministeriis
 regentium propius admouet. Igitur quod Nobiles ignobilibus sint præfe-
 rendi in Sessionibus, salutationibus, & id genus præferentiis aliis, manifestum
 & communis Dd. traditio est. Bedencken von des Ritterstands Session
 num. 462. & seqq. ite num. 520. & seqq. per complura ibi allegata. Et qui
 descendit ex sanguine Regali, ceteris anteponitur, veluti dignior, vt deducit
 Mart. Freccia in Additione ad Tractat. Feudal. num. 48. Quapropter
 Cosmi Ducis Hetruriæ filio cedere noluit in aula Philippi Alexander
 Farnesius. nec alia causa obtendebatur à Farnesio &c. quam quod Marga-
 rita Philippi sororis filius esset, Thuan. lib. XXXI. Igitur Hero-
 des quum Antipatrum primogenitum, & duos natu minores, sed
 ex Regii sanguinis matre, simul Reges constitueret; apud Hegesipp. 1,
 39. ita loquitur: *Itaque simul tres liberos hodie reges constituo: Illi etas, istis
 nobilitas astipulatur.* Ob eandem causam Henricus IV. quum antiqui-
 tus Moguntinus coronare Imperatorem esset solitus, à Colonienfi co-
 ronari voluit, qui erat nobilior, à Palatinis Rheni sanguinem ducens,
 Schafnab. ad. An. MLIV.

XVII. Quod autem iure naturali patri debetur reuerentia, id ius
 gentium etiam in præcedentia tribuenda producit ad omnem ætatis atq;
 temporis prærogatiuam, vt quod antiquius est, idem etiam dignius atque

E

potius

potius esse videatur. Vnde & apud Romanos ea vox talem significatio-
nem induit. Sic *Antiquum* pro nobili & magno exponunt apud Virg.
Æn. 12, 347. Seru. & Donatus. *Antiquiorem in Senatu sententia dicenda
locum*, pro priori & honoratiori dixit Cicero in Verr. 5, 14. & alia alii
vulgo nota. Græcis itidem *γεραιός* & *γερειός* itemq; *γέρων* senem notant;
γέρας honorem. Igitur natura docet honorandos esse senes, & eorum
utendum consiliis. Ergo & Romanorum solenne carmen fuit in clari-
gationis formula: *Sed de istis rebus in patria maiores natu consulimus, quo
pacto ius nostrum adipiscamur.* Liu. 1, 32. Hinc *πρεσβύτεροι, γέροντες*, Senatus,
consilii publici orta sunt vocabula, de quibus ad Flori lib. I. cap. I. Et
acutius intuentibus apparet ipsi paterno honori dignitatem atq; aucto-
ritatem ætate conciliari. nam qui liberis non multo sunt natu grandio-
res, in minore sunt apud eos reuerentia, vt pulchre notat Arist. Polit. 7, 16.
Hinc igitur inter fratres primogenitus antecedit, est enim quasi parentis
loco: ideoq; si mortuo patre sint adhuc impuberes, legitimus eorum tutor
est. Ergo & in conuiuiis fratres Iosephi collocati sunt secundum nascendi
ordinem. & maiorem ætate fratribus consanguineis, licet materna ori-
gine nobilioribus, æquatam iudicio Herodis vidimus. Sed & Iugurthæ
medium locum, is inter Numidas honoratissimus habebatur, Atherbal
tribuit, etiam fratre monito, vt *ætati concederet*, Sallust. Jug. 11, 3. & apud
eundem scriptorem, in fragment. lib. I. Histor. nescio quis *Curionem
quesiuit, vt i adolescentior, & populi suffragiis integer, ætati concederet Mamerci
in petendis honoribus.* Eleganter Erasmi. in Conuiuiis Relig. *Canicie
tuæ debetur primus locus Timothee.* Et respondet alter valde comiter: *Verbo
dignitatem omnem meam complexus es. Hoc solo nomine sum ceteris anteponen-
dus.* Nec minus urbane subiungit conuiuator: *Ceterarum dotium æsti-
mator est DEVS; nos ea sequimur, quæ videmus.*

XVIII. Sic igitur fit in aliis etiam societatibus, collegiis, & omni
comparatione de cetero similibus. *Quis enim in uno eodemque genere digni-
tatis prior esse debuerat, nisi qui prior meruit dignitatem?* aiunt Imp. in l. 1. C.
de Coss. lib. XII. Adde Frecciam. de feudis lib. II. tit. quis dicatur Dux?
num. 43. Igitur & Romæ prior habebat fasces, qui & antea Consul fue-
rat, Alex. ab Alex. dier. genial. 33. & similia quædam statuuntur in l. 1. ff.
de albo scrib. apud Agell. 4, 10. l. 7. C. de proxim. sacr. scrib. l. 4. C. de
Coss. l. 2. C. de præf. præf. l. 2. C. de primicer. Adde Kirchner. de iure
Legati 2, 5, 84. vbi dicit Polonos hanc rationem sequutos esse in ordine
audiendarum legationum constituendo. Sicut & Ludouicus XII. in artic.
ordi-

ordinis sui Equestris sanxit; *qu' ils seront mis en ordre selon le temps de leur reception, sans prerogative de Roy ny d' Empereur.* Bodin. de Republ. 1, 9. Qua de causa etiam nonnulli apud Marselaer in Legato 2, 32. digniorem inter eiusdem Principis Legatos faciunt qui prior tempore fuerit. Et in Conciliis ad rem Christianam pertinentibus *precedunt ceteros, qui primi Christianismum professi sunt,* teste Grotio de Iure Belli 2, 5, 21. Constantiæ quidem id factum scimus ex Comment. Æn. Syluii de gestis Bas. Concilii lib. II. In Concilio Tridentino sederunt Archiepiscopi secundum tempus suæ promotionis. Sfortia Pallauicino nell' hist. del Concil. Trid. lib. XI. cap XV. pag. 940. In Suetia Senatores Regni secundum tempus adeptæ dignitatis incedunt sedentque: etiamsi forte nobilitate opibusque sint sequentibus impares. Neque gratiæ locus est aut ambitioni. Quare Comitem quemdam adscribi Senatorem albo recusantem, si post alios inferioris gradus locaretur; Gustauus Rex admonuit, ipsum obesse dignitati suæ. quanto enim diutius contaretur, tanto tardius ad eximia officia peruenturum, ad quæ nulla. nisi per illum ordinem via esset. Igitur accepta conditione, quum aliquamdiu prioribus cessisset, factus ab Rege Archidapifer primum locum tenuit. Nam quinque habentes officia maiora, collegas ceteros antecedunt. Sicut & in municipali ordine seruatum ab Romanis, ut *qui maxima inter collegas munera gessissent, priores scriberentur.* l. i. ff. de albo scrib. Constantinopoli quoque Bassarum ordo est à prerogatiua temporis. *colui il quale hebbe prima questa dignità, precede tutti gli altri.* Spandugino Cantacufino de costumide Turchi, apud Sansouin. fol. III.

XIX. Quia vero tempus in talibus attenditur, supernumerarij, de quibus egimus supra 1, 26. excluduntur, esse enim non possunt, nisi iam expleto numero. Ex diuerso quidam etiam ex pristina dignitate, licet postea deperdita, ducunt argumenta præcedentiæ, uti Burgundus apud Cassan. in Catal. glor. Mundi Parte V. Confid. XLV. Burgundiam olim Regni titulum habuisse. Cui simile narrat Lanf. orat. pro Hungar. propter eius Regni pristinam potentiam honoratum eius legato locum esse datum à Purpurato Simane. Multo igitur fortius ab antiquitate Principatus adhuc durantis concluditur. Besold. Colleg. Polit. Class. II. Disp. V. th. 36. & Gallos hoc argumento niti tradit Bodinus de Republ. 1, 9. idque & illos, & Hispanos adduxisse refert Marselaer in Legato 2, 32. Item in consecrando Othone I. Treuerensis ad se pertinere honorem eam contendit, *quia antiquior sedes esset,* ut refert ex Vitichindo Onuphrius de

Comit. 7, 7, 9. & in antiquis versiculis *Treniris etate* reliquis prior dicitur. Becker. Synops. Iur. publ. cap. X. num. 15.

XX. Nec aliud fundamentum habet *consuetudo*, quæ in *Sessionis prærogatiua maximum momentum obtinet* si sit *iuueterata*, Vide late *Bedencken von des Ritterstands Session* num. 511. & 512. immo *decennii consuetudinem sufficere*, traditur *ibid.* ex Riccio in *prax. forens. Eccles. tit. praxis præcedentiarum. decis. 578.* Adde *Besold. Colleg. Polit. 6, §. 36. Cassan. Catalogi Parte V. Confid. XLIII.* Hoc iure An. MDXCVIII. Angli cedere Hispanis noluerunt, *ab hominum memoria, in confessu Pontificum, & Imperii Comitibus, sibi debitum primum locum contendentes.* Johnston. Hist. Rer. Britan. lib. & Henricus VI. Moguntia locum priorem præ Archiepiscopo Coloniensi abiudicauit Abbati Fuldensi, qui consuetudine nitebatur. Quam etiam in prærogatiua ciuitatum seruari iussit Antoninus Aug. l. 4. §. 5. de off. Procos.

XXI. Consuetudini locum facit *Possessio*. ergo & huic permultum hoc in negotio defertur. Vide *Bedencken von des Reichs Rittersch. Session* n. 402. & seqq. item n. 595. & c. Et nostro tempore Regis Angliæ obtestationes contra Protectores, qui sunt in possessione potentia, apud perpaucos valuerunt. Rhodii quoque quum à Cassio auxilia peterentur, responderunt *missuros se legationem ad Senatum*, qui nimirum erat à Triumuiris constitutus. Appian. Ciuil. lib. IV. Et An. MDLXXXI. Turcæ Stephani Poloniae Regis legatum admiserunt, frustra testante *Germollæo*, Regnum illud ad herum suum Henricum III. Gallia Regem spectare. Tangit *Leunclau. in Supplem. Annal. Turc. Thuan. lib. LXXVII.* Sic & præcedere videntur debere, qui proxime præcesserunt, tamquam sint in huius honoris possessione vel quasi. Igitur Florentinum legatum Ferrariensi Ferdinandus I. anteposuit, quod idem factum fuerat in aula Caroli V. prædecessoris sui, *Besold. de præced. §. 1. Ritterstands Session* num. 511. Et An. MCLXIV. à Pio IV. Pontifice Henricus Clutinius Oisellius Gallia regis orator obtinuit, *vt in antiqua possessione conseruaretur.* Cui modo ad finis est ille, quum in adiudicanda præcedentia aliorum respicimus exempla, dignior enim videtur, quem *communis hominum existimatio præferendum esse existimat.* Menoch. Consil. 126. num. 20. lib. II. quo argumento pugnat etiam *Rittersch. Session* n. 509. & 510.

XXII. A Potentia simul & iure Patrisfamilias obtinuisse reor, vt *Domi sua* quisque vel præcedat, vel cedat arbitrato suo. nam domi sua quisque est potentissimus. Hic mos adeo valuit in Suetia, vt tempore

Caro.

Caroli Regis IX. rusticum quemdam vici magistrum, quum domi suæ Regem excepisset, superiore loco dicatur adsedisse: animaduersoque rideri se ab aulicis, sumpto poculo præbuisse Regi, cum hac præfatione: DEUS seruet Mai. Tuam, qui æqualem omnibus administrando iustitiam efficis, vt cuius viro bono priorem domi suæ sedem obtinere liceat. Apud Erasmum etiam in Conuiu. Religioso ea quasi consuetudo communis allegatur: *Hospiti (conuiuatori) debetur primus locus.* Atque respondet ile vrbaniſſime: *Tota domus hæc mea est, simulque vestra: quod si mihi permittitis ius in Regno meo, is locus debetur hospiti, quemcumque sibi delegerit.* Multo magis igitur Principes domi possunt idem. Bald. in tit. de prohib. feudi alienat. §. fin. dicit: *quod Rex Francia, quoad subditos suos sit in Regno tanquã corporalis Deus.* Vnde *Archiepiscopus in terra Episcopi debet honorare Episcopum* glos. in l. nihil C. de Palat. lib. XII. Et Anno MLXIII. vt narrat Schafnaburg. Hecelotus Hildesheimiensis Episcopus negabat *quemquam sibi intra diœcesim suam post Archiepiscopum debere præferri.* Quin exemplum illustrius habet Ursperg. ad Ann. MLIII. vbi Papa Archiepiscopo Moguntino tandem in sua diœcesi cedendum perpendebat, post multam contentionem. quod licet vehementer improbat Baron. Annal. Eccles. MLII, 18. tamen ex ipsa historia satis apparet, aliter antiquitatem, atque Papam adeo ipsum, quam Baronius iudicet, iudicauisse.

XXIII. Fortius ergo dicetur cum Cassan. de glor. Mundi Part. IV. Confid. XXII. *quando duosunt æquales in dignitate, quemlibet in suo territorio esse maiorem altero.* Adde Besold. de præced. 5, 1. Mart. Frecciam in Addit. num. 16. Et recte concludit Bodin de la Republ. 1, 9. *Que chacun Prince souuerain, & qui n'est ny tributaire, ny feudataire, ny en protection d'autray, peut distribuer en son pays les prerogatiues d'honneur à qui bon luy semblera, tenant tousiours le premier rang.* Sic Idem refert Angliæ Reginam Elizabetham in scribendo Equitum periscelidis albo, post suum nomen statim posuisse nomen Regis Francia. & hoc est quod ait glos. in l. apud eum ff. de manumis. vind. *pares inter se præcedere in suo quemq; territorio.* Ibi enim ipse est potentior: *dum in sua prouincia est, nam si excesserit, priuatus est,* l. 3. ff. de off. Præf. Hinc sequitur si quis domi suæ priorem concedat alii locum, nisi tamen manifestissima sit dignitatis differentia, non videri hoc facere, nisi quia velit honorem habere hospiti: nec ideo sibi præiudicare. Hoc vrbaniſſime demonstrauit magnus Dux Hetruriæ, quum Tendillæ Comitem excipiens conuiuio, Regis Hispaniæ legatum ad Romanam Curiam, in capite mensæ locum ei magnifice excultum

assignavit. At Comite sedem, ut Duci debitam contumaciter recusante. cedo, inquit, aliquem suorum inclamans, claves huc ædium, atque da Comiti, quando ipse hic herum agit. Floresta Espann. 2, 2, 84.

XXIV. Ceterum hoc facere herus potest, non potest postulare hospes. Nec ideo recte Veruini in Gallia Hispaniarum Regis Legati factam sibi iniuriam interpretabantur, si potior locus illis non concederetur, vel ex hospitii iure; quandoquidem in Gallici imperii oppidum deuenierint, quod neutiquam fecissent, nisi ex obseruantia erga Pont. Max. Cambden. Histor. Elizabethæ part. IV. Similis domestica prerogatiua est eorum, qui certi loci, operis, actus, principatum tenent, uti Cæsar Cos. in Senatu rogando extra ordinem primæ sententiæ honore Crasso prius, mox Pompeio detulit, eius rei ratione Senatui reddita. Agell. 4, 10. Quin & L. Accius eidem Iulio Cæsari amplissimo & florentissimo viro, in collegium poetarum venienti numquam assurrexit: non maiestatis eius immemor; sed quod in comparatione communium studiorum, aliquanto superiorem se esse consideret. Valer. Max. 3, 7, 11. erat enim suo in regno Accius, quale quid dixisse Ferdinandum Catholicum legimus, quum in Academia Complutensi Rectori sceptrum Academica, non minus atque sibi sua, præferri iuberet ipse præsens. Bernegg. Orat. Academ. VI. Huc faciunt quæ Freccia deducit in Addit. n. 49. de filio ut præcedat in his quæ ad officium pertinent (si præses ipse sit, & pater priuatus) de Doctore & Milite, in his quæ militiæ conueniunt: & in Archidiacono & Archipresbytero, dum in diuinis celebrat: de Episcopo scholari, & Rectore studii, ut (hic) ipsum præcedat, dum est in scholis: & de Episcopo Canonico, vel de Episcopo, à laico tenente feudum, vel de Rege, tenente Comitatum ab alio Rege, qui esset eo inferior. Sic & Concilium Tridenti de Sessionibus nonnulla constituit, alibi non trahenda in exemplum.

XXV. A Sapiencia quoque natura docet dignitatem accedere hominibus: idq; gentes etiam ad præcedentiam extendunt. Sapienciam autem hic sumo latius, ut τὴν σοφίαν Græci Aristot. Ethic. 6, 7. Sic apud Sallust. Iugurth. 10, 6. filios alloquutus Micipsa, Ceterum ante hos, ait, te Iugurtha, qui etate & sapientia prior es, ne aliter quid eueniat, prouidere decet. Vbi prudentia ciuilis intelligitur. Et propter hanc præcedentia datur multis, quia consilio est opus omni Reipublicæ. Hinc apud Monarchas quidem Consiliarii præcedunt multos alias minime cessuros: in Aristocratia autem & Oligarchia penes eosdem est potentia: sed & in Democraticis Rebus publicis magistratus præcipui non aliis ferme

COM-

commendantur. Et quia propter maiorem experientiam senum solet esse prudentia circumspectior; hi potissimum in publicis consiliis adhibentur. In solemni carmine fecialium, apud Liu. 1, 32, 10. *sed de istis rebus in patria maiores natu consulemus, quo pacto ius nostrum adipiscamur.* Inde & *Senatus* accepit nomen: sicut apud Spartanos ἡ Γερουσία, de quibus ad Florum 1, 1, 15. & in Ecclesia presbyteri: ex patriæ Israelitarum more: Carthagine *Seniores* apud Liu. 34, 60, 13. Unde hodieque dominos vocant Galli *Seigneurs*, Italus *Signori*, & proxime ad Latinam prononciationem Hispani *Sennores*.

XXVI. Atq; hanc ob Sapientiam, ciuilem dico, Præcedentia deberi videtur præ aliis: quamquam sint aliæ minime spernendæ, Sacrorum, Legum, Medicinæ &c. Quod enim hodie in Academiis (ubi concursus est horum generum omnium) aliter constitutum videmus, id non iure gentium, sed ne ciuili quidem, verum alia causa accidit. Pontificum auctoritate constitutas esse plerasque Academias antiquitus constat. Ne miremur, si maxime honorarunt ordinem, in quo ipsi honorabantur. Is autem tum Theologorum vocabatur. Iuris Ciuilis nulla dum erat notitia: Pontificium obtinebat. huius ergo Professores iure suo locum primo proximum nacti, mox etiam Iuris Iustiniani consultos eodem perduxerunt, præsertim postquam Vtriusq; fieri cepere. Neque sperni Medici poterant, quorum opera ipsi quoq; Pontifices utebantur. Philosophia, quæ tum erat in vsu, nihil habebat, cur de primatu contenderet. Ciuilem sapientiam non doceri Papatus intererat. eandem ob causam iacebant bonæ literæ, historiarum studium negligebatur: quidquid rebus humanis salutaria consilia subministrare potuisset, vltro inuisum erat exosumque. Postquam emerfit: iam occupatus erat locus, & quia nominibus regimur, quia Philosophia nominatur, cum illa quæ tum tractabatur, infimum in locum coacta est: secundum legem conuiualem opinor, quæ sedes incommodiores decernit tarde venientibus.

XXVII. Tu igitur ciuiles artes anteponis sacris? quidni, in causis ciuilibus? Sed annon ipsi Reges cedunt Sacerdotibus? Respondeo nec semper, nec vbique factum, nec vsquam iure. Argumenta non moror, quæ in contrarium proferunt: per quæ fit vt magis etiam appareat conclusionis istorum absurditas. Videantur tantummodo rationes (si tamen λόγοι sunt, qui sunt ἄλογοι) quibus Cassianus in Catal. Glor. Mundi Parte IV. Confid. II. contendit, *quod status Ecclesiasticus in omnibus Statui temporalis est preferendus.* itemque dicta ista exorbitantia, *Aurum non tam*
pre-

preciosius plumbo, quam regia potestate sit ordo Sacerdotalis altior, cap. duo sunt 10. Distinct. XCVI. atq; ista Baroniana Annal. Eccl. CCCLXXXVII, 12. Nam ex infinitis talibus hæc tantum recito) post Isidori dictum, tributum pendere iubentis Imperatori: *Hæc Isidorus, & quidem recte secundum Christianam mansuetudinem* (& audet hic citare Lucae cap. VI. Cardinalis!) *cum alioqui ex Domini sententia, si non à filiis Reges tributum exigunt, quos subditos habent, multo minus ab eis, quos sibi superiores esse cognoscunt, absque nota criminis inuase tyrannidis, sub quorum cura Principes omnes intelligunt se sub pastoribus esse oves* (כל צנה ואלפי) *longinque impar esse à pastoribus oves lac & lanam exigere, cum potius ista ille teneantur pastoribus exhibere.* Puto liquere, secundum has rationes Præcedentiam sacerdotibus competere ante omnes alios homines. Breuiter pro instituto respondemus. Si hæc vera non sunt; cur adferuntur? Sin autem; cur quisquam est tam miserabilis sacerdos, vt non præcedat Imperatorem? Certe enim oportuit. Nam vt quælibet auri particula omni plumbo dignior est; vt postremissimus quisq; pastorculus vel præstantissima oue superior: ita secundum ista quilibet Sacerdos quolibet Principe. Sic fieret secundum prouerbium à Strabone lib. VI. memoratum, Κροτωνιατῶν ὁ ἕνατος, πρῶτος τῶν ἄλλων Ἑλλήνων: *Crotoniatarum vltimus, aliorum Græcorum primus.* Aut desinant igitur vti falso argumento; aut vtantur vero, quosque fas est.

XXVIII. Certe Gentium Iura nihil tale constituerunt vsquam. Romæ quia iidem Imperatores atq; Maximi Pontifices erant, vtri præcedentia data fuerit, liquet minus. At liquebit, si tempora respiciamus, quibus viuo adhuc Lepido Augustus tantum Imperator fuit. An igitur hunc cessisse putas Lepido Pontifici Maximo? Lepido inquam, quem in Senatu postremum inter Consulares sententiam rogari consueſſe ex Dionis lib. LIV. nouimus? Aliæ gentes tametsi magno honore sacerdotes coluerunt; non æquarunt Regibus. Ægyptii quid fecerint, Persæque, ex Historia etiam Sacra scimus. Comanis in Cappadocia Sacerdotes erant insignes, opulenti, etiam ex familia regia. sed tamen δεύτεροι καὶ ἑτὴν μὲν τὸν βασιλέα, *Secundi honore post Regem, vt scribit auctor Cappadox Strabo lib. XII.* Nec absimilem fuisse conditionem Sacerdotii Paphiæ veneris in Cypro fidem facit Plutarch. in vita Caton. Min. cap. XLIX. Ita sane gentes, nam Israëlita instituta, quibus maiestas Regia Sacerdotum dignitatem honore multum anteibat, ad Diuinum ius pertinent. Et maiorem in Regno quam Sacerdotio dignitatem inesse, diuersissimorum etiam

etiam ingeniorum homines. ipsis eorum factis demonstrantibus, similiter censuerunt. Nam & Reges aliquot humilitatis causa in Sacerdotum castra transierunt, vel etiam compulsi sunt: & Sacerdotes Regnum adfectarunt, minime, ut existimo, humilitatis causa, sed honoris. Sic Macabæorum posterum non contenti Sacerdotio Regiam potestatem appellationemque receperunt, maioris splendoris gratia: & qui nomine abstinuerunt, potentiam tamen honoremque tenuerunt diligentissime, sub aliis vocabulis Reges sicut Imperatores olim sub nomine *Principum*. Ita postmodum apud eosdem Romanos Papæ: apud Saracenos Caliphæ.

XXIX. Iure Gentium ergo vtrius debeatur præcedentia vidimus. At diuinum obtendunt. Sane quidem impudenter: & diserte vetante Domino: VOS AUTEM NON SIC. quod dictum validius est, quam ut vlla vi subuertipossit; apertius, quam ut vlla fraude obscurari. Sed ad rationem prouocant! Contra rationem profecto. Etenim in contrarium inuicta prorsus est & inexpugnabilis ratio. Non puto dubitaturum esse quemquã, si summus Rex summo Sacerdote sit extra controuersiam dignior, etiã Regnũ dignius esse Sacerdotio. Sed vnde hoc cognoscemus? Quis ergo summus Rex est, aut quis Sacerdos? CHRISTUM nominabo, de quo dubitare Christianus nemo potest. At in eo non apparet vtriusque officii differentia! Consideremus ergo secundum vtram naturam Rex sit, secundum vtram Sacerdos. Secundum humanam simpliciter, Sacerdos est, secundum vtramque Rex; sed secundum Diuinam excellentius. Hoc inde certum, quia DEUS sæpe Rex in Scripturis dicitur; Sacerdos numquam & intelligimus Regem esse imperii nomen; Sacerdotem, ministerii. Rex enim subditorum suorum Rex est, sicut Tiberius dicebat, *se dominum seruorum suorum, Imperatorem militum, ceterorum Principem esse*, apud Sueton. in Vita. At Sacerdos est Dei, ut Genes. 14. 18. Melchisedeus erat *Sacerdos DEI altissimi*. Hanc ergo differentiam in Aaron & Mose expressit DEUS, quorum alterum summo Sacerdotio, alterum Principatu fuisse præditum ignorat nemo. Exodi 7. 1. *Ecce constitui te deum Pharaoni, & frater tuus erit propheta tuus.* Cur igitur in Imperio tantus est honor Ecclesiasticis? Non est æqualis omnibus, sed his tantummodo excellens, qui per Imperii feuda ad apicem & fastigium summum dignitatis & nobilitatis euehuntur, ut ait Modest. Pist. Conf. XLIX. num. 3. volum. II.

XXX. Sapiencia quoque bellica duces claros hominum reuerentiæ offerre solet, atque præ multis aliis ius dare præcedentiæ. Ducis enim

F

boni

boni imperatoria virtus est, teste Tacito in Vita Agricolaë soceri 39, 3. Nec loquor de bellorum temporibus, quibus etiam potentiam habent formidabile. sed propria quaedam inest etiam in pace, etiam in exilio dignitas. Sic Annibalem patria excedentem omnes quacumque ibat, honorifice excipiebant. Diodorus Siculis in fragment. ab Henr. Valesio editis. Ἀννίβας διὰ μόνως τῆς πρὸς αὐτὸν φήμης καὶ ὅλην τὴν οἰκουμένην περιβλεπόμενος ἐγένετο, καὶ πᾶσαν πόλιν ἐκείσε προσέδοντο & θαύμαζον τὸν ἀνδρα. *Annibal sola fama sua (iam aliis ornamentis amissis) toto orbe habitabili erat spectabilis, per singulas ciuitates vnoquoque ad intuum tantum virum festinante.* Scipionem vero, à quo victus est Annibal, quum in voluntario exilio Linterni degeret, narrant magna cum veneratione spectatum à piratis, qui hac vna de causa litus istud petierant, sicut & voto potiti sine maleficio discesserunt. Quantæ vero admirationi minor Africanus Alexandrinis fuerit, ex Iustino 38, 8, II. licet cognoscere.

XXXI. Propter *facundiam* etiam, quod & ea sapientia quaedam est, præcedentiam quandoq; datam legimus. In Noua Francia, quam & Canadam vocant, ab hac præcipue creari Principes, legimus. Apud maiores nostros, referente Tacito de morib. Germ. II, 6. *rex vel princeps, prout etas cuique, prout nobilitas, prout decus bellicum, prout facundia erat, audiebantur* in consultationibus publicis. Bocchum Regem ex duobus legatis prior alloquutus est L. Sulla, cuius facundiæ, non etati, à Manlio concessum refert Sallust. Iugurth. 102: 3. In Vpsaliensi templo monstrauit mihi locum Ioan. Skytte Regni Senator, Patronus meus, vbi se constitisse dicebat inter Senatores, quamquam dignitate tum inferiorem, vt ipsorum nomine gratularetur Carolo, qui tum insignia Regni sumserat. *Sanctitatem quoq; vite nihil referri prohibet ad hanc Sapientiæ classem.* Huius in honorem cesserunt aliquando Treuir & Coloniensis Archiepiscopi Moguntino Adelberto, in consecrando & coronando Ottone I. vt narrat Vitichindus. Et in Gallia antiquitus Prælati præcedebant Principes Sanguinis, Paresque Franciæ, *laquelle reuerence n' a esté continuée ausdits Prelats par faute (comme est vray semblable) de suivre les bonne vie & doctrine qui faisoit honorer les predecesseurs.* Du Tilleten ses Memoires lib. II. Nec plura aggerabimus, quia hæc recedunt ab instituto longius. Eadem de causa ceteras etiam Sapientiæ partes in præsentia non examino.

XXXII. Sed & Iuris Ciuilis uniuscuiusq; instituta referri alienum simul atque nimium sit. In vniuersum tamen sequi Naturæ Gentiumue instituta in tribuenda præcedentia solent: rationesque inde petitas suis ad-

ad commodare negotiis. Discedunt tamen nonnumquam, l. 6. ff. de iust. & iure. sicut & decreta Patris familias, qui & ipse domi suæ Regem gerit, & non domesticis tantum, sed etiam hospitibus, vel secundum superiora iura, vel ubi hæc ignorat aut contemnit, suo arbitratu honorem dispensat, præcedentiamq; tribuit. Et ista quidem ubiuis siue bene, siue secus constituta, quoties tamen querela abest, sine certamine seruantur. Ast ubi duo vel plures eum dem in locum petunt, quid fieri debeat, quaeritur. Certe si cederent inuicem homines; sublata essent omnes controuersia. verum id neq; solet fieri, neque etiam debet. Quod enim Paulus præcipit ad Romanos scribens 12, 10. non potest intelligi, nisi de hominibus dignitate non multum dispari, quales tum illi fuerunt. nec enim sublata voluit, quæ de honore certis personis deferendo DEUS per ipsum & alios mandauerat. Ego sic existimo. neminem sua causa debere petere præcedentiam; sed propter ordinem à DEO institutum. At ille constituit ordinum differentias, certisque gradibus miro artificio & distinxit & coniunxit, vt vnum fieret ex omnibus. Non sine causa laudatus est rhythmus optimi Principis è Saxonica domo:

*Ich bin ein Mann / wie ein andrer Mann /
Allein daß mir GOTT die Ehre gann.*

XXXIII. Quemuis igitur in suo gradu consistere fas est, erga superiores sine inuidia, erga inferiores sine contemptu. Ita quidem futurum video in æterna illa Republica, ubi honorum differentia locus erit; non erit inuidia, aut fastui. sicuti nec inter Sanctos Angelos hominesq; nunc quoq; Pulcherrime Martialis, longe verioris atque salubrioris præcepti auctor, quam existimare ipse potuit:

Quod sis, esse velis; nihilque malis.

Id si fieret, ordo pulcherrimus atq; saluberrimus inter homines sine offensa consisteret; omnis boni certissimus auctor. Vnde enim malum, nisi quod institutum à DEO ordinem seruare creatura noluit? Debet igitur vir bonus hunc etiam in causa præcedentia sequi, sed hoc quoq; non immodeste, nec extra ordinem. Minus igitur priuatus pugnabit pro loco, quam qui est in officio publico. Illi suffecerit testari se non esse sui gradus nescium: modeste monere iniuriam inferentes; cauere, quantum citra indecoram concertationem potest, ne vulnus accipiat existimationis. Ad extremum (nec enim se vindicare fas fuerit) petere à Republica, vt quemadmodum in aliis; ita hinc quoq; suum tribuatur cuique. Nec patientur conturbari gradus, qui Reipublica præsent. At qui contentio-

finis inter se digladiantur, & Principibus solent esse fastidio, & dicacium ludibriis se offerunt, quale videas in Floresta Espann. 4, 1, 1.

XXXIV. Quod si vero ab ipso Principe aut Republica cuiquam data est præcedentia (sicut e.g. Cyrus apud Xenoph. lib. VIII. collocabat suos; & contra morem receptum Rex Henricus III. Colinium Admirallium continuo post primum Marefcallum Franciæ, & supra ceteros d' Auila delle guerre Ciuili di Franc. lib. V.) honoris eorum interest qui dederunt, vt veluti suam iniuriam in turbatores eius ordinis vindicent. Plane sacrilegii reum esse iubent Impp. in l. i. C. vt dignit. ordo seru. l. XII. si quis in debitum sibi locum vsurpauerit; atque ita diuina præcepta (Imperatorum puta) neglexerit. Ex iis autem qui sunt in officio publico, maxime de iusta præcedentia solliciti debent esse tum Principes aut Magistratus, tum etiam Legati. Nam in ea re non ipsorum modo honos vertitur, sed Reipublicæ cum dignitas, tum etiam quies: quando à contemptu facile progrediuntur ad iniurias homines, & quos vilipendere ceperunt, etiam oppugnare audent. Igitur notum est, quantis & artibus & viribus ea de re certatum sit multoties. Prius autem modos omnibus quos dixi communes, deinde solis his qui summæ rerum præfunt conuenientes, in exemplis consideremus. Facilius enim apparebit quid fieri deceat, quam in his quasi speculis & recti normam, & varias ab eo declinationes obseruauerimus.

XXXV. Legati quidem in omnibus mandata debent intueri, quæ à legantibus acceperint. At interdum improuisus se casus obiicit, vt sit quasi in arena capiendum consilium. *Semper enim debere legatum memorem esse tuendi dignioris loci contra inferiores* recte monet Kirchner. 2, 5, 71. & pleriq; de legatis scribentium. Igitur Hispani Regis orator in Concilio Tridentino Mendozza, quum Gallus ei non cederet, seorsim à legatis occupauit locum, ex aduerso Præsidis, Natalis Comes Histor. lib. XIV. Quem locum digniorem, & Regi, si quis adfuiisset occupandum interpretatur Marselaer in Legato 2, 32. & fatetur sane Bodinus de Repub. 1, 9. Mendozzam eo tempore digniorem sedem habuisse. Idem fecerunt in Comitibus Anni MCCCCLXXI. Ratisponæ legati Ducis Burgundiæ, quibus Electores cedere noluerant, vt refert ex Campan. tom. II. Histor. Auctor Bedencens von der freyen Reichs Ritterschafft Session num. 577. Plerique, si aliter tueri dignitatem nequeunt, at *absentia* efficiunt, ne cessisse videantur. Vide Knichen de Saxon. non prouoc. iure, verbo Ducum. cap. II. num. CXXIV. Kirchner. de iure legati 2, 5, 87.

XXXVI. Le-

XXXVI. Legati Caesaris, item Regum Hispanie & Gallie, nec non Bauar-
 rie Ducis (hos enim addit) subducunt se potius inuidiosis congressibus, quam
 inuicem concedant quod deinceps in sequelam trahi possit. Marselaer in Legato
 2,32. Angli quidem & Hispani propter hanc causam pacis tractationem
 Bononia institutam deseruerunt, ne aliis alii cederent in congressibus.
 Johnston. Rer. Britannic. lib. VIII. Coronatione Caroli V. Legati Pon-
 tificis & Regis. Angliæ ceremoniis interesse noluerunt, ne post Electro-
 res collocarentur. Maur. de coronat. Caroli V. & Hispanus in Polonia,
 quum priores audirentur ex decreto Senatus, qui priores Regnum intra-
 uerunt, omnino tacere maluit. Bodin. de Republ. 1,9. Et David Vngna-
 dius Cæsaris legatus, quum Constantinopoli ualedicturus Imperatori
 Turcico legato Persico priorem dari locum didicisset; in salutato Turca
 discedebat, in Muhammedes Bassa cedere Persam compulisset. Beden-
 sten von der Ritterseh. Session num. 66. Apud Heidenst. lib. I. de bel.
 Mosc. ad Stephanum Regem Poloniae missi legati Moscouiæ Principis,
 negarunt se verbum vllum facturos esse, priusquam rex aperto capite
 assurgens, de valetudine & statu principis sui percontatus esset: & quum
 hoc facere Stephanus nollet, legationem infectam reliquerunt, domum
 regressi. Kirchner. de iure legati 2,5,47. simile postulatum eius gentis
 legatorum ante aliquot annos mira ingenii præsentia clusit Serenissima
 Regina mea. Quippe postulantibus legatis, vt adsurgeret, responderi
 iussit, se adsurrexisse semel. quod si non viderint ipsi, suæ negligentiae im-
 putent: iterum in eorum gratiam non esse surrecturam. Vbi vero res absentiam
 non patitur, protestatione ius suum seruare consueuerunt. In actu solemnium
 quum Neapolitani fidem in verba Philippi II. obstringeret, Dux Montis
 Albi præstare volebat iuramentum prior; at Princeps Bisiniani non consen-
 tiendo, fuit de hoc protestatus, & prætendens primo sibi deferri. Freccia de feud.
 in Addit. num. 44. Et in Recessu Imperii Vornat. Anno MDXXI. sub
 fin. §. Doch hat vnser Dheim. Dux Bauariæ & Dux Georgius Saxonie
 protestantur se non aliter adsentiri subscriptionis tum vsurpatae ordini,
 nisi saluo iure suo & agnatorum. Multisq; deinceps Imperii Recessibus,
 propter varias de præcedentia lites, similis incerta est clausula. Vulgo
 enim creditur hic esse protestationibus effectus, vt interposita ius suum
 cuique seruet integrum ac illæsum, cap. sollicitudinem. in fin. & ibi glos.
 X. de appellat. & Dd. passim.

XXXVII. Illud minime probauerim, quod armis atque pugnando
 nonnulli defendere præcedentiam voluerunt. Id enim neque legatorum
 offi-

officio conuenit, & eos apud quos agitur, potest, immo uero debet offendere. Ad minus ueniri excusatius est, ut à Florentinis atq; Ferrariensibus factum narrat Thuan. lib. XXXII. & à Legato Gallico Galatæ contra Constantinopolin *Heberer Seruit. Egypt. 2, 50.* Vim etiam aliqua admo- ueri forte non fuerit reprehendendum, modo transigi res uelut vno ictu possit; ne contra tendente aduersario deforme spectaculum exhibeat pugna legatorum, quale narratur infra 2, 51. Sic in Concilio Constansensi Ioannis Regis Castellæ legatus Archiepiscopus Hispalensis Anglū è digniori sede, homo uiribus præualidus, sublimum sustulit. Marselaer in Legato 2, 32. Idemq; fecit apud eundem auctorem Ioannes de Sylua, primus Comes Fontanus. Exemplum simile Comitum de Cifuentes legati Hispani Romam refert Melch. de Santa Cruz en su Floresta Espann. 2, 2, 30. Ingenio uero atq; consilio debitum honorem seruare illæsum, semper fuit laudabile. Quo referam Oratoris Caroli V. factum, qui animaduerso sibi apud Turcam puluinar ex more non esse positum, chlamydi compli- catæ insedit; & quum digrediens eam tollere iuberetur, respondit; *Non solet Imperator meus sedili suum asportare.* Marselaer. Kirchner. de Legat. 2, 5, 63. Nec alterius generis sunt, quæ de Maximiliano I. & Isabella Belgii Principe (ni fallor) ab eodem Marsel. narrantur. ille, *cum Danie Regis Legatus sedendi indebitum aut insolitum ius postularet, ipse solio assurgens, eum audiuit. hæc uero non nisi ipsos Principes sedens audiebat, stans Legatos.* De Maximiliano tradit idem Kirchner. de legat. 2, 5, 62. Anno autem MDXCVIII. quum Veruini de pace tractaretur, Hispani sic para- ti uenerunt, ut si locus ipsis quem nolent esset occupandus, non Catholi- ci se Regis, sed Archiducis de legatos profiterentur: Cambden. Elizab.

XXXVIII. Hæc igitur & in legatis habent locum: at de iure Prin- cipis aut Reipublicæ transigere legatis, nisi mandatis hoc expressum con- tineatur, non licet. Nam inter eos qui sic uidentur pares, ut neque cedere neque præcedere magnopere debere utrimq; sentiant; si uelint qui re- rum potiuntur, sorte res decidi potest. idque tripliciter, uel ut semel in perpetuum statuatur: uel ut in singulis actibus fiat sortitio: uel ab initio sortiantur partes & quem fors monstrauerit, tum quidem præcedat; proximo deinde actu sequatur: & sic deinceps alternis præcedant ce- dantque. Atq; hæc postrema ratio proposita est Rescriptio Ferdinandi II. Anno MDCXXVII. Nobilitati Libere & Ciuitatibus Imperii. *Ritter- schaffi Session n. 558.* & sane est humanissima, & quæ uicto quammi- nimum adferat pudoris. Ergo præter eos qui scripto hanc probarunt, aut

aut facto sequuti sunt, quales refert aliquam multos idem *Bedenckem* num. 583. & seqq. etiam Romani Magistratus plerumq; provincias atque exercitus sorte diuiferunt. Vt apud *Liuium* 38, 35, 8. *Consulibus, alteri Pise cum Liguribus, alteri Gallia provincia decreta est. comparare inter se aut sortiri iussi: &c. Messala Ligures, Salinatori obtigit Gallia. Praetores inde sortiti sunt.* Et sic sapissime. nec enim nisi superba & turbulenta ingenia extraordinem ista deposcebant. vnde tamen plerumque maior cedentibus quam obtinentibus æstimatio parta est. Ita *Posthumius Consul A. V. C. CDLXII.* cum *C. Junio* collega. neque comparare neque sortiri voluit: ad extremum *Junius, ne discordia consulum bono publico fraudi esset, sponte se cedere testatus est.* idque potuit integra dignitate. nihil enim decedebat publicæ rei: & tranquillitatis eius causa cedens pro bono ciue habebatur. At *Posthumius*, quum pari arrogantia *C. Fabium* proconsule, sibi ex *SC.* ferentem suppetias, aditu provincie prohibuisset, etiam cum Senatu cõtentione suscepta; fructu rerum prospere gestarum omni caruit; & præterea suffragiis cunctarum tribuum damnatus est. *Supplem. Liu. I, II. & seqq.* *Erasmus* in *Dispari Conuiuio* monet, uti illi quoq; epulares sortibus distribuantur accubitus.

XXXIX. Idem Romani Consules mensibus alternis habebant fasces, *Liu. 2, 1, 5.* *Sueton.* in *Cæsare* cap. XX. Et profecto commoda hæc est consuetudo, quam etiam imitati sunt præcedentiæ causa litigantes plurimi. Et factum hoc in sessione legatorum interdum, ne contentioni vel indignationi Legatorum locus relinqueretur, testatur *Marselaer 2, 32.* licet recusauerit *Rex Gallie*, quum legatus *Hispanus Viennæ* conditionem istam proposuisset, referente *Bodino de Republ. 1, 9.* In Imperio fecerunt hoc *Domus Austriaca* & *Archiepiscopus Salisburgensis.* *Iustus Reifenberg* in *Nomothet. publ. fol. 207.* & hodie inter eosdem hoc obseruatur in *Consilio Principum*, quoties habentur *Comitia.* Sic & *Episcopos Herbipolensem & Vormatiensem* permutare vices certo modo; itemq; *Landgrauium Hassiæ & Marchionem Badensem*, nec non *Ducem Württembergicum, Pomeranum, & Megalopolensem*, vrbes etiam *Vormatiam & Lubecam* refert *Auctor Bedenckens von der freyen Reichs Ritterschafft* Session num. 539. *Electores etiam Treuir & Colonienfis* in *Consilio Electorum* alternis vicibus *Moguntinum dextri* adsident, penes *Treuirum* tamen semper est votum prius. *Tractat von Reichstagen* pag. 22. *Freher. de tutela Elector. 12, 16.* qui hoc argumento inter alia probat, non omnia quæ sunt *Aur. Bulla* sancita, hodie obtinere.

XL. Non-

XL. Nonnumquam rixæ vitandæ causâ, ingeniose hoc agitur, vt imago ordinis pereat, orbisque sessionem faciat, quem ritum hodie imitantur mensæ. Marselaer. Tale quid Veruini repertum inter Gallos & Hispanos Cambden. in Elizab. ad Annum MDXCVIII. quum Legatus Pontificius summo loco, nuncius à dextro latere prior sederet, iuxta hunc Gallus; at à sinistro Hispani non habentes eo in latere priorem sedem ceperunt: vtraque parte superiorem honestioremque censente locum quem occupauerat. At in scripto speciem omnem præcedentiæ miro quodam artificio Fratres Minores excluderunt. Quum enim impetrassent à Pontifice, vt ex ordine suo tres viros nominarent, quorum vnus quem Papa præferret in Cardinalium numerum reciperetur; ne posset ex scripturæ serie qualecumq; indicium arripi, quem ipsi ceteris digniorem existimarent, nominibus in forma circuli scriptis, omnem eiusmodi suspicionem sustulerunt. Tiraquell. de iure primogenit. quæst. XX. num. 6. & alii citati in Bedencken von der Ritterschafft Session n. 494.

XLI. Ast inter potentes & ambitiosos difficilis est componendæ litis ratio, dum *idem velle, atque idem nolle*, non iam *firma amicitia est*, vt apud Sallust. Catilina dicebat; sed causâ discordiæ. Nota hanc in rem est Caroli V. responsio, *quod francisco fratri suo placeat; idem & sibi placere*. intelligebat autem Ducatum Mediolani, quem tenebat ipse, Gallus repetebat. At legatus Vaurius rem ex sententia confectam arbitratus, Regem suum vana spe delusit. Marselaer in Legato 2, 38. tangit Thuanus lib. I. Pugnatum ergo de Præcedentiâ etiam inter Electores Imperii, cædesque factas testatur Arumæ. ad A. B. Disc. I. Conclus. VI. Et Moguntia inter Electorem & Abbatem Fuldensem in Comitibus ab Rege Henrico III. habitis, in ipsa æde sacra certamen ortum haud incruentum narrat Naucler. Volum. II. Gener. XXXVI. Etiam Anno MLXIII. imperante Henrico V. similem fere tragædiam Goslaræ Hecelonis Episcopi Hildesheimiensis, cum Widerado Fuldensi Abbate excitauit concertatio. de qua Lambert. Schafnaburgensis. Nec desunt magni nominis Icti, qui de sessionis & præcedentiæ iure bellum geri posse statuunt. inter quos Pancirol. Consil. VI. num. 2. Menoch. Consil. 902. num. 76. lib. X. Hartm. Harman. tit. XLIX. pract. obseru. IV. num. 5. Vasqu. Illustr. controu. c. XIII. num. 16. & 18.

XLII. Cum his fere sentire videtur Pierre Matthieu tom. I. fol. 39. & Marselaer 2, 32. dicens hoc genus quæstiones *à cuspide gladii dependere*. Idem narrat Anno MDLXIV. Romæ contendentibus Hispanis Gallisq; cum

cum rationibus *additas prætereaminas, in manus rûpendas* (vt ipse loquitur) siue erupturas. Sic inter Herbipolitanum Episcopum Rudolphum, & antiquam Comitum Papebergium familiam, præcedentiæ causa præliis atrociter concursus est. Kirchner. de legat. 2, 5, 76. Sturt. de Imp. Germ. cap. XXIII. num. 8. Maria Medicea Henrici IV. sponsa Massiliam appellente, nihil factum est propius, quam vt Meditensium triremes cum Florentinis concurrerent, orta de præcedentiæ lite. Pier. Matthieu. Sane si sint & aliæ offensiones propter quas bellum suscipiendum esse videatur; huius etiam quasi superpondium adiectum excitare animos ad bellandum queat: sicut Colinius in scripto ad Regem Carolum inter alia plurima, mentionem etiam iniicit in controuersiam adductæ Præcedentiæ. Thuan. lib. XLII.

XLIII. Tamen nec ille dicit *hanc insignem iniuriam, ad bellum Hispano mouendum sufficere*; & incaute hoc ad fingitur ei à quibusdam scriptoribus. Vide Besold. Colleg. Polit. 2, 5, 30. Arum. ad A. B. disc. IV. th. I. Ritterschafft Session num. 16. Nam qui talia audiunt leguntque, facile possunt in hanc impelli neque Christianam, neque adeo homini conuenientem sententiam. Quippe *nullum bellum iustum esse, nisi necessarium*, quum etiam homines non Christiani prædicent, apparet naturalis hoc decretum iuris esse. *Omnia ergo prius sapientem, quam armis experiri debere* iidem dictitant: quod autem sapiens facit ex naturali iure proficiscitur maxime, cuius ille consultus est. Vnde leges Philosophis positas esse negat Aristoteles; quod nimirum ipsi faciunt sponte *τὰ τῆς φύσεως*, vt dicit etiam Pauli ad Romanos Epistola. Bellum igitur minime mouebitur etiam Pauli ad Romanos Epistola. Bellum igitur minime mouebitur cuiquam, superbiæ causa. quam in partem pulchra sunt verba, quæ A. Gell. 7, 3. ex Oratione Catonis pro Rhodiis seruauit. *Rhodienses superbos esse aiunt, id obiectantes, quod mihi & (non e) liberis meis minime dici volim. Sint sane superbi, quid id ad nos attinet? Id ne irascimini, si quis superbior est quam nos?* Sane enim proficiscitur vel ab superbia si quis immeritos appetit honores; vel ab stultitia, nisi tamen eadem res est. *Ἡλιθιοὶ στωλίδος* petit honores; vel ab stultitia, nisi tamen eadem res est. *Ἡλιθιοὶ στωλίδος* vocari scribit Aristot. Eth. 4, 7. qui maioribus se dignos honoribus censo vocari scribit Aristot. Eth. 4, 7. qui maioribus se dignos honoribus censent, quam mereantur. Tales autem sunt arrogantes. Vnde consideratis eorum moribus, quos *stolidos* atque *stultos* nominari animaduertent nostri maiores, hæc nomina superbiorum esse putauerunt, eaque significatione nos hodie vtimur. Hinc facile decerni potest, quas mente Carolus V. inter duas nobiles matronas, quæ non contentæ sententiâ iudicum, paris vtramq; dignitatis videri cognita causa pronunciantium,

G

rem

rem ad Cæsarem detulerant; hanc sententiam tulerit: *Vtra duarum esset stolidior, ea uti prederet.* Limn. de Iure publ. 4, 9. f. ex Germ. de Vrea, del vero honore.

XLIV. Hæc autem non eo pertinent, quasi negligenda Principibus sit contumelia. Id enim nos neq; sentire, neq; dicere superiora docuerunt. Id modo tendimus, non quamlibet iniuriam belli causam esse faciendum. Repræhenditur Augustus à Tacito Annal. 3, 24, 3. qui alia flagitia quædam, *gravi nomine læsarum religionum, ac violatæ maiestatis appellando, clementiam maiorum suasque ipse leges egrediebatur.* Iniustum igitur id negotium est. sed nec liti terminandæ natum. Vno casu, si prorsus viceris, licebit tibi per victum adsumere quod volueris. At si vincare? nonne tum, qui primo utique loco esse volueras, exiguo eris, aut fortasse nullo: & cum Mogarensibus *ἔτ' ἐν λόγῳ, ἔτ' ἐν ἀειδίμῳ*; Quod si æquo Marte disceditur, aut non vehementer iniquo, multiplicabuntur magis lites, quam finientur.

Odi iudicium, quod litem lite resoluit.

Frustra ergo bellauerimus. aut quiescendum erit nobis, aut iterum ad eundem impingendam lapidem, aut tentandæ conditiones. Cum igitur non initio protinus huc descensum est, priusquam tantæ tragediæ concitarentur, quibus carere mortalitas poterat, aliunde satis misera? Sed hoc quoque difficile est partes non transigent. iudicem aut non habent, aut non ferunt. Ipsi quoq; iudices malint offensiones vitare, quam pronuntiando minuere præpotentium studia. Fateor ita esse. ceterum frustra quæritur, ecquo modo possint in rebus humanis omnes evitari molestiæ. Fateor etiam decisiones fore multoties perquam laboriosas, ita perplexis utrumq; rationibus, ut dispicere minime promptum sit, secundum utram partem dari oporteat. Eo igitur accuratius oportet expendi, quid in tanto negotio iustum sit. nam & hanc litem partem decidisse DEUM probabile est: si quam in Verbo aut Ratione voluntatem patefecit, ea diligentius inuestigetur. Atque ea de re deinceps considerabimus.

XLV. Videntur autem constitui Regulæ nonnullæ generaliores posse, quas sequutus, ad iustam eiusmodi quæstionum definitionem certius accedat. Primam facimus, *Domi suæ quemlibet plurimum posse.* Secundam: *Neminem iudicari posse lege qua non reneatur.* Tertiam: *Lege Divina atque Naturali equaliter teneri omnes.* Hinc igitur apparet, quid maxime ponendum sit ob oculos Iudici. simul elicitur quis, & quatenus sit in causa huiusmodi Iudex. Primo nempe is, cuius sint litigantes subditi.

Secun-

Secundo is, cuius se decisioni vltro subicerint; quem vocamus arbitrum.
 Tertio is, qui Dominus est Reipublicæ (vel si plurium status sit, penes
 quos est summa Reipublicæ potestas) in qua externi de præcedentia
 pugnant. Si Papam audimus, leuati sunt omni onere Icti, neque enim
 respondere quidquam possunt, præterquam ex decreto Caligulæ apud
 Suetonium, ECCUM. Ipse enim, *homo scilicet spiritualis omnia iudicat.*
 item, *Nescitis, quoniam angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* Cassan.
 in Catal glor. Mundi Part. IV. Confid. II. & innumeri alii: quorum mul-
 tos allegat refutatq; Bodin. de Repub. 1, 9. Sed pauci hoc credunt, quoties
 contra ipsos iudicatur: hi etiam, quos *καὶ ἐξ ὁχλῶν* Catholicos nominant.
 Certe Anno MDLXIV. quum pro Gallo Pius IV. sententiam tulisset, &
 quidem, vt Bodinus testatur, de consensu totius consistorii Cardinalium;
*indignatus Hispanus summa arrogantia contra Pontificem protestatus, nec mul-
 to post iussu Philippi Roma, sine vlla publica significatione discessit,* Thuanus
 lib. XXXV. Et hoc est cur Marselaer in Legato suo 2, 32. scribat, simul
 Papam suum, simul Regem offendere cauens; *Questionem illam in-
 decisam relinquemus; quippe cuius determinatio non à cuiusquam iudicio
 aut coniectura, sed à cuspide gladii, à presenti inquam potentia, tum à gratia
 eius qui Legationem admittit, multam dependeat.* Idem tamen eodem capite
 narrat. *Cardinalem Vitellium scripsisse, & Ecclesie & vtriusq; Regni bono
 factum esse, vt questio tum manserit indeterminata.* Contra Cassan. in Cata-
 logi Parte V. Confid. XXXI. scribit ita definitum esse per multos summos
 Pontifices. Parum etiam Pontifici tribuit Ferrariensis, qui in lite contra
 Florentinum *quamuis citatus nunquam adduci potuit, vt procuratorem Ro-
 mam mitteret, sed vt à Casare & in aula Casarea lis terminaretur, omni ratio-
 ne contendit,* Thuanus lib. XLII.

XLVI. Omisso igitur Papa dicimus vel lege statui de præcedentia
 solere, cuius re multa exhibet exempla Iustiniani Codex; vel iudicio eius,
 cuius eæ, partes sunt. In Imperio quidem iudicium de Præcedentia Sta-
 tuum solius Imperatoris, & ne Camera quidem Imperialis esse, deducit
 Auctor *Bedencens von der Rittersch.* Session n. 558. & 601. Atque hic
 litem antiquissimam inter Moguntinum & Coloniensem diremit, teste
 Auentino lib. II. hic in Aurea Bulla cunctis Electoribus Sessionem distri-
 buit. In Gallia vero Parlamentum etiam his de caussis iudicat, vt factum
 notat du Tillet lib. II. des Memoires, in caussa Cardinalis Vindocini con-
 tra Ducem Niuernensem, 23. Febr. An. MDXVII. quum pronunciauit
 Curia Cardinalem præferendum esse, tamquam & Sanguinis Regii
 Prin-

Principem, & Franciæ Pare[m]; quum Dux Par esset, Princeps Sanguinis non esset. Item An. MDXLI. 6. Iun. Mompensetius Niuernensi prælatus est ob eamdem causam. Sed inter Ludou. Andegauensem, & Philippum Burgundum Rex ipse decidit Carolus VI. quod tangit & Kirchner. de iure legati 2, 5, 81. Quod si pluribus nationibus idem imperat, poterit & litem inter illas natam decidere. sicut Carolus V. Germanis atque Hispanis ob hanc causam concertantibus, illis adiudicauit præcedentiam. Limnæus de Iure publ. lib. I. cap. VI. num. 62.

XLVII. *Arbitrium* in hac causâ ratum est, non facile consentientibus in hanc conditionem partibus. quin videtur præpotentibus quædam imminutio maiestatis. præterea semper est, cur aliquis amicior alteri parti videatur. Possent tamen, sicut in bellis componendis interueniunt quodam arbitrando iure Mediatores, quos vocant; sic etiam ad has determinandas lites adhiberi: Maximilianum de Ferrariensis lite cum Florentino cognoscere tamquam arbitrum Papa volebat Thuan. sed id nomen merito reiectum est ab eo qui tamquam Imperator vtriusq; Principis se gerebat Principem.

XLVIII. Crebriora sunt exempla *Domus sue* sibi hanc vsurpantium potestatem in exteros. Igitur præcedentiam inter Legatos æmulorum, à gratia eius qui Legationem admittit, multum dependere dicit Marselaer. Ita Maximilianus II. Hispani legatis principem locum in aula sua tribuit, quum adessent & Gallici, Thuan. lib. XLIX. propter necessitudinem sanguinis. Ab eadem causâ Ferrariensi Florentinum prætulit Catharinæ Mediceæ fauor, Thuan. lib. XXXI. Sicut vetustissimis temporibus in rogandis sententiis Cæsarem ad finitatem aliquid tribuisse vidimus supra 2, 24. Alia de causâ Ferdinandum Ferrariensi Florentinum anteposuisse ostensum est 2, 21. Poloni lege statuerunt, *Ut priorem locum ubique locorum obtinerent, qui tempore priores in Regnum appulissent*, Marselaer. *Ritterschafft Session* num. 581. Kirchner. in Legato 2, 5, 84. Bodin de Rep. 1, 9. supra 2, 18. Anno MDLXXXII, quum filium suum Murates III. circumcidendum curaret, à Sinane purpurato Hungarici Regni legatus antepositus Gallico fertur, propter plura Regna, quæ olim sub Hungaria fuerint. Lanf. in Orat. pro Hung. ex Leuncl. & Isthuansio. sed falso hoc esse proditum Thuanus arguit lib. LXXVII. Nam Marselaer eamdem historiam attingens, quædam ad fingere videtur. De eiusdem Turcæ minis quibus litem ab eorundem Regnorum legatis motam compescuit, similique Caligulæ facta, supra 1, 34. retulimus. Venetiis Anno MDLVIII. decre-

decreto Senatus Legatus Gallicus Hispanū antecessit. Bodin. de Rep. 1, 9. In Anglia quamdiu Regina fuit in matrimonio Regis Hispaniæ, huic ante Gallum locus assignatus est inter Sodales Ordinis Garterii (de la iartiere) antea vero & postea, Regi Galliæ ante Hispanus. At Ludouicus XII. vt prius notabamus, in simili negotio temporum ordinem sequi maluit.

XLIX. Ceterum non semper eiusmodi decisionibus paretur. Certe quicumque Principes validiorum opera magnopere indigent, in hanc submissionis atque modestiæ partem, quam in illam confidentiæ atque arrogantia, inclinare nonnunquam malunt. ne dum ob inanem honorum florem litigant, fructum tranquillitatis & incolumitatis publicæ emarcescere patiantur. Vt eleganter ac prudenter ait Marselaer. Sic Cosmus sapientissimus Princeps filio in aula Philippi cum Alexandro Farnesio certanti scripsit, vt patienter ferret, quicquid ea in re Philippus decreuisset &c. Thuanus lib. XXXI. At qui sibi fidunt, quia honoris hoc negotium est, non alterius magis iudicio stant, quam suo merito. Marselaer. Genuenses quidem in solemnibus epulis, quas Iacobus Lusignanensis Cypri Rex dabat, quum Famæ Augusti coronam Hierosolymitani Regni accepisset; quum Veneti præponerentur, armis veste tectis rescindere decretum Regis statuerant. quæ res multorum malorum initium exstitit. Fr. Steph. Lusignano nella Chorograff. dell' Isola de Cipro fol 57. f. Pietro Messia Var. Lett. Parte II. cap. XXII. Quin & subditi potentiores interdum Principis sui iussa insuper habent sicut Andegauus Dux, secundū à Rege locum, licet ille Burgundiæ Duci Philippo de cõsiliis sententia esset attributus, nihilominus occupauit, Cassan. Part. V. Confid. XLV. ex Gaguino 9, 1. Anno Christi MCXLIII. Henricus VI. electus Moguntia, quum sibi Fuldensem Abbatē potius à sinistra adsidere, quam Archiepiscopum Coloniensem voluisset, ex ea ratione, seruandam esse veterem in Imperio consuetudinem; discedente Coloniensi magnum oriebatur schisma, nisi fuisset à Cæsare repositus in locum unde iussus fuerat cedere. Alb. Krantz Saxon. 6, 46. Crus. Annal. Sueu. Part. II. lib. XI. cap. XIV. Wolf. Lektion Memorab. Centenar. XV. Naucler. Volum. II. Generat. 36. Munster lib. III. Cosmogr. Spangenberg's Manssf. Chronic.

L. Inde factum, vt prudentes Principes, etiam vbi ius habebant decidendi, tamen offensionis vitandæ causa circumspecte procederent. Tiberius, quū diu deliberasset, vtrumne prius ad Germanicū exercitum, an vero ad Pannonicum proficisceretur, quorū ille validior hic vicinior erat, veritus ne postpositi contumelia incenderentur, vt ait Tacitus 1, 47, 2.


itudicauit, per filios pariter adiri posse, maiestate salua. Octavius Farnesius ne Parmenses Placentinis æmulis, aut hos illis anteposuisse videretur, hac formula in scribendo utebatur; *Octavius Farnesius Dux P. & P.* vt notauit ad Taciti locum vir cum prudentiæ tum eruditionis eminentissimæ Christoph. Forstnerus. *Rex Iacobus nomen magnæ Britanniæ Regis hac maxime de causa assumpsit, vt &c. Scotos demulceret; aliter toruum visuros, si ille in titulis Angliam Scotiæ anteponeret.* Lanfius Orat. pro Britan. In legationib. audiendis Alexandri Magni prudentiam laudat Kirchner. de iure legat. 2, 5, 93. *qui secundum causarum, quas quæq; ferebant, grauitatem, prius ac posterius vnamquamq; audiuit &c.* ex Diodori lib. XVII. Quod vero Reges Hispaniæ Panormitanorum atq; Mesanensium lites non determinant, Forstnerus putat *istam contentiunculam inter duas regni Siculi vrbes dignatione & opibus primas studio foueri.* Quod vero Maximilianus II. inter Florétinum & Ferrariensem decidere noluit, etiam hac de causa factum tradit Thuan. lib. XLII. *quod neutri molestiam facere vellet.* erant enim ambo Cæsaris sororii. De Pii IV. contatione lege Thuan. lib. XXXV.

LI. Sæpius ne cogantur aliquid statuere, prohibent contententes solemnibus actibus, vbi præcedentiam spectari necessum foret. vt Viennæ factum ab Imperatore narrat Bodin. de Republ. 1, 9. Sic in Gallia quum Episcopus Laodunensis cum Ludouico Borbonio Principe de la Roche sur Yon de Sessione in Senatu An. MDVI. 3. Nouembr. contenderet; Curia iussit excedere vtrumque, futurum promittens, vt breui certum aliquid decerneret. ceterum his indecisa mansit. Memoires du Tillet lib. II. & in eadem Gallia Regina mater in exsequiis Caroli Principis Hispaniæ, Ferrariensi ac Florentino legatis imperauit, *vt saluo partium iure vitandæ offensionis publicæ causa inde discederent.* Thuanus l. XLII. Et Carolus V. Bononiæ legatos Senensium atque Genuensium in templo pugnis de præcedentia disceptantes, exire præcepit. Iouius Histor. lib. XXXVII. Pius etiam IV. Anno MDLXIV. contententibus inter se legatis Hispaniæ & Galliæ Regum edixit, vt priusquam negotium decideretur, *neuter publicis ceremoniis interesset.* Thuanus lib. XXXV.

LII. Vbi autem amborum est præsentia necessaria, nec euitari quin præponatur alter, potest; quidam ad illum tantummodo actum dant ei præcedentiam. vt Neapoli quum inter solemnitatem iurandi in verba Regis, Princeps Bisiniani *pro illa vice tantum, & citra præiudicium, tum in petitorio, quam in possessorio, ex decreto Dominorum de Concilio Collaterali ore tenus dato, primus omnium iurauit.* Freccia in Addit. num. 44. Alius & æ-

& æquior modus à Ferdinando II. propositus est An. MDCXXVII. das zu Vorsetzung der gewöhnlichen Landtage / und Befürderung des gemeinen Lands Wohlfahrt / nur ad interim, vnd bis zu gerichtlicher decision, zwischen beyden Parthenen eine Alternatio, saluo cuiuscumq; iure fürgenommen / vnd der Anfang per sortem gemacht werden solte. Nittersch. Session num. 558. Quum igitur manifestum sit, quanti sit hoc negotium in decidendo difficultatis, litem inter Electores atque Cardinalis motam, vix decisum iri auguramur siue iudicio; nec enim aut Cardinales Imperatorem iudicem, nec Electores Pontificem ferent: siue etiam arbitrio. Ecquis enim tantis erit ceruicibus, qui recipero cupiat? & in quem compromittetur ab his partibus?

LIII. Tertius igitur solus superest modus, vt quid Domi suæ quisq; faciendum putet, id secum statuatur. Statuere vero quisque debet, quod æquum iustumque sit: ne famam simul conscientiamque vilem habere videatur. Sane posset aliquis, vbi potentiam obtinet, vel cani dare præcedentiam, sicut à Gunnaro quodam alicubi factum esse Saxo Grammaticus annotauit: sed interest ipsius, ne cum iure aliquo superiore improbe contendisse videatur. Est enim aliquid quod non oporteat, tametsi licet, ait Cicero pro Corn. Balbo, & l. 108. ff. de R. I. neque Christi præceptum impune spreueris, τὴν δικαίαν κρίσιν, iustum iudicium iudicare præcipientis. Ioan. 7, 24. In consilio igitur habendæ partis vtriusque rationes erunt, & si quid contra obiicitur; vt secundum eam pronuncietur, quæ firmioribus alligationibus vtitur. Quid autem vtrimque soleat allegari possitue, dehinc cum cura digeremus.



DIATRIBE III.

Breuiarium.

Electorum præcipua & eminentia iura (1.) Eligere Imperatorem. (2.) coronare. (3.) & (4.) Regibus equiparari. (5.) aduersus eos crimen maiestatis committitur. (6.) potestatem in successores transmittunt. (7.) membra sunt supremo capiti proximiora. (8.) conueniunt suo arbitrio. (9.) & decernunt. (10.) titulis splendidissimis ornantur. (11.) Nullus senatus iis comparatur. (12.) possunt eligere Regem Rom. Siuente Imperatore. (13.) Imperator illis resignat Imperium. (14.) potentia à ditionibus dependens. (15.) Auctoritas eorum consularis in suffragiis. (16.) difficulter deponitur Elector; aut (17.) constituitur. (18.) Legatis Electorum primus in aula locus. (19.) cognati ab Imperatore vocantur. (20.) Iis potentissimi Principes cedunt. (21.) Stuntur iure præf. præf. (22.) Non sunt à Pontifice instituti. (23.) non à Gregorio V. (24.) potius ab Impe-

Imperatore Ottone III. (25.) sed tamen ad Pontificem trahitur illa res ob auctoritatem affectatam. (26.) (27.) & (28.) Auctoris sententia de initio septemviratus. (29.) cur hoc numero. (30.) (31.) (32.) (33.) (34.) Innocentii IV. Electores Pontifici considerantur. (35.) (36.) (37.) controuersia de Bohemo & Schisma. (38.) Electores contra Pontificem instituti. (39.) Electoratus ordo non inualuit tacito consensu. (40.) (41.) (42.) (43.) Pontifici in Electores nullum arbitrium. (44.) Electores non sunt Episcopi Bambergensis clientes.

ELECTORES Imperii, præter communia cum reliquis Principibus iura, habent etiam præcipua quædam & eminentia, quibus eorum dignitas censeretur solet. Et quidem

I. Electione Imperatoris maximam horum Principum potestatem, & præ reliquis principibus eminentiam elucere, verissime scripsit Conring. de Imp. Rom. Rep. pag. 115.

II. Huic connexum est ius Imperatorem corona Regni Germanici ornandi, quod habent soli, Conring. Ibid.

III. Electores æquiparari Regibus multi scripserunt, vt Limnaeus de Iure publ. 3, 2, 2. Besold. de præced. &c. & si nollemus credere scriptis, credendum esset experientiæ. Olim Bohemiarum Reges sunt Imperatorum fratres & filii, plerumque non semel Reges, & summi apud Christianos honoris candidati. Sunt tamen in Collegio Electorum, & Ecclesiasticis cédunt loco. Hinc dignitatē Electorum plane Regiam existere testatur Besold. in Thes. Practic. voce Churfürst. Heig. part. I. quæst. 4. num. 51. Sixtin. de regalib. cap. IV. num. 29. lib. I. Arum. ad A. B. disc. III. th. II. Vnde fit, addit Besold. daß die Churfürsten den Königen nicht Gnaden/ sondern E. Würden und Liebden zuschreiben; Ursach/ weil sie den Königen gleich geachtet. ex Lutheri Colloq. Sprenger de mod. Imp. Rom. Germ. cap. IX. Sed idem referens Becker. Synops. 10, 3. addit hodiernis moribus Electores Regibus tribuere titulum Regiæ dignitatis E. Kön. Würde & ita quoque Electores in literis ad Gustauum Suetiæ Regem, Ratisbona 13. Aug. An. MDCXXX. datis, eundem Regiæ dignitatis titulo affectisse, teste Keimling de Regim. Sæc. I. class. 3. cap. 3.

IV. Electoria dignitas addit aliquid Regiæ. nec enim aliam ob causam Imperatricem antecedit Rex Bohemiarum quod fieri iubet A. B. tit. IV.

V. Aduersus Electores crimen Maiestatis committitur, Becker de Iure publ. 10, 4. Camman. disp. Politico iurid. X. th. 45. &c. Arumæus in A. B. 3, 11. Keimling 1, 4, 3, 2.

VI. E-

VI. Electores habent adeo propriam potestatem, & minime precariam, vt eam in liberos transmittant plerique; ceteri autem in successorum ditionum. Arnif. de Republ. cap. VI. num. 72. quod quidem ignorat nemo.

VII. Non sunt subditi absolute, sed membra, eaque summo capiti proximiora. A. B. tit. II. §. Und wiewoln von Alters. iunge etiam eiusdem Bullæ Tit. XXIV.

VIII. Conuenire possunt inter sese pro salute & incolumitate Imperii singulis annis in salutato Imperatore, per Aur. Bul. cap. XII. f. & Dd. Arnif. de Republ. cap. VI. num. 72. Liebenthal Colleg. Polit. Exerc. IX. num. 20. Conring. de Imp. Rom. Rep. pag. 115. quod ceteris Principibus minime conceditur. Becker. Synops. Iur. publ. cap. X. num. 5. Besold. Thes. Pract. voce Churfürsten-Tag Nec fas hoc vetare Imperatori. Vide articulos Carolo V. exhibitos apud Sleidan. lib. I. & Capitulationes Imp. sicut Ferd. I. apud Besold. Item Ferdin. III. cap. V. Quod ius tanto est illustrius, & Maiestatis plenius, quod Imperatori lex posita est, ne conuentum indicat, nisi de consensu Electorum. Sleidan. Idq; comprehensum legibus (Capitulationem vocant) in quas quilibet Electus Imperator iurare debet, attestatur Auctor von Reichstagen / pag. 1. Vide plura apud Besold d. l.

IX. Sed & aliæ subinde leges Capitulationibus à solo Electorum Collegio, licet aliorum Satuum monita non negligente, inferuntur. Considerentur præfationes Capitulationum. Talis est Artic. VIII. Capit. Ferdinandi II. quem sic Latine vertit Rusdorf. Vindic. Palat. cap. XXVII. n. 43. *Sine consensu, præscitu, voluntate, atq; permissione Electorum, res Imperii plane non oppignorare, non vendere, non aliis donare, neque quocumque modo alienare, vel ad alios transferre.* Sed & multa sunt his similia, tanti iam olim ponderis, vt inde Bodin. de Repub. 2. 6. argumentum sumserit, Imperium Romano-Germ. Aristocraticum esse.

X. Non ergo mirum Electores ornari titulis splendidissimis ab Imperatore, quales recenset multos Arnif. de Rep. cap. VI. num. 73. & 74. inter quos etiam est quod n. 7. diximus, *membra propinquiora Imperatoris.* Et in decreto Cæsareo de dato 27. Iulii 1590. hæc verba cōprehensa sunt: *Der Churf. Hoheit und Auctoritet / mit eines Röm. Kaysers Gewalt und Hoheit / daher sie auch fleußt / dermassen verbunden / daß eine ohne die ander nicht bestehen kan / ja daß die höchste Würde der Churfürsten / damit sie für andern Potentaten gezieret / eben diese ist / daß sie einem*

H

Rd.

Römischen Kaiser / dessen Hoheit / Auctoritet vnd Gewalt alle andere übertrifft / von der auch alle andere übersteuht / zu wehlen haben. Becker. Synops. Iur. Publ. Imp. Romano-Germ. cap. X. num. 2. Becker. Synops. 10, 2. Sprenger, de moderno Imp. Romano-Germ. cap. IX. Similes alios titulos, vt sunt *Supremi Patres ac Senatores Imperii, nobilia eius fulcra* (Meinling de Germ. Rom. Imp. lib. I. class. IV. cap. III. n. 2. & seqq. Befold. de præced. cap. II. §. 12.) apud citatos & alibi passim reperias, quos enumerare non vnius pagine res est, vt dicit eleganter Sprenger.

XI. Ex prædictis patet rectissime concludi ab Arnisæo de Rep. cap. VI. n. 76. *nullum Senatium Electoribus esse comparandum.* non Romanum sub Imperatoribus; non Parlamenta sub Regibus. nam his nulla ferme nisi consulendi potestas competit: Electores consilium quidè suggerunt, sed insuper etiam vim decernendi iubendique magna ex parte obtinent.

XII. Istud vero quanti est, quod Electores si putent hoc Imperio conducere, possunt eligere Regem Romanum etiam viuentem Imperatore? Befold. Thes. Pract. voce *Eurfürst*. Ne tangamus quæ circa depositionem Imperatoris vulgo sunt tradita. Vide Arnis. de Rep. 2, 6, 73. & 78. Schönborn. Polit. 5, 33. Befold. Thes. Pract. voce *Eurfürsten Tag*. Æn. Sylu. Hist. Bohem. cap. XXXIV.

XIII. Item, quod Imperator deponere volens Imperium in Electorum manus resignat, vt factum à Carolo V. & à Ferdinando I. contra Pontificem, id sibi iuris proterue vindicantem, constantissime defensum. Conring. de Imp. Rom. Rep. pag. 109. f. se referens ad Seldium in *seinem Bedencken* / quod vulgavit Goldastus.

XIV. Sed & potentia Principum horum dignitatè auget, quæ adeo spectatur, vt ab ditionibus dependeat Electoratus. A. B. tit. VII.

XV. Præter propriam vero potentiam habent in communibus Imperii negotiis non modo trientem suffragiorum atq; vocum decisuarum. Bodin. de Repub. 2, 6. verum etiam consilium eorum prius atque superius est, magnam habens vim ad inclinandam quo cupiunt ceterorum sententiam. Vide Tractat. *Von Reichstagen*.

XVI. Consideratu quoque dignum, quantæ molis sit, vnum aliquem Electorem deponere. Id enim vno huius, atque altero superioris sæculi exemplo satis apparuit. De iure disputatum est inter Rusdorf. in *Vindic. causæ Pal.* cap. XXV. & Adolzreuter. in *Refutatione* cap. IV. quæst. I. Certe Becker in Synopsi Iur. publ. 10, 26. de translata in Maximilianum *Bauariæ Ducè* Electorali dignitate scribens, id fecisse dicit Ferdinandū II.

re cum reliquis Electoribus communicata, Pontifice item Maximo, ac reliquis Electoribus ratificantibus. Vbi de ratificatione Pontificis quod attinet, ea licet superuacanea fuerit cautio, tamen eo magis ostendit quod volumus, Electorum exauctoratione quam difficilime procedere. Iunge Sprenger. de mod. Imp. Rom. Germ. cap. XX: Quin etiam ipsi Electores in Conuentu Mulhusano An. MDCXXVII. quum sententiam suam aperuissent, disertis verbis adiecerunt, vniuersorum statuum habenda esse comitia, siue generalia, siue per circulos; vt acta ista generali decreto ordinum Imperii approbentur: *Auff daß nun schließlich dieses durch einen allgemeinen Schluß der sambtlichen Ständ im Reich approbirt werde.* vbi sophisma Adolzeureri verbum dieses / non ad omnia superiora, sed tantum ad proxima (neben andern Ständen des Reichs) referentis vel per vocem schließlich satis exploditur. Vide ipsum in Refut. Vindic. Palatin. cap. IV. quæst. II. n. 20. §. quod tertio.

XVII. Sed neque facilius Electores constituuntur. Quanto labore sit octauus Electoratus introductus, nouit orbis. Maximilianus quidem I. ius eligendi communicari Archiducibus tendens, nihil impetrauit. Sprenger. ex Mauri relat. coronat. Caroli V.

XVIII. Etiam legatis Electorum in Aula & Capella Caesaris ante legatos omnium Principum locus assignatur. excepto si à Regibus coronatis atq; regnantibus, eorumue viduis, aut pupillis Regnum cum virili toga sumpturis missi fuerint. Capitulat. Ferdin. III.

XIX. Nec omittendum, quod Electoribus, non dico illis origine antiquissima Principibus, & vere cognatis suis, sed etiam inter Ecclesiasticos his, qui illustri domo non prodierint; titulus cognatorum ab Imperatore tribuitur, *Siehe Neven und Churfürsten / Iosias Nolden. de nobil. cap. VIII. num 71. & seqq. Knichen. de Saxon. non prouoc. Iure cap. I. num. 320. verbo Ius. Becker Synops. cap. X. num. 13. Limn. de Iure Publ. 333, 35. Sprenger. cuius rei rationem in abdito latere scribit Heig. lib. II. quæst. IV. n. 62. Sed ego ad dignitatis Electoralis eminentiam referre nihil dubito. Eximia enim dignitas, quia summam parit nobilitatem; quamdam efficit cognationem cum Imperatore aut Rege, qui nobilitatis omnis in suo Regno fons & caput esse intelligitur. Igitur hodieque sic proceres suos Ducesque Rex Galliarum, licet ipsi non sint coniuncti sanguine, vocat cognatos suos. Eodem plane more quo Persarum Reges priscis temporibus, de quibus Brisson. de Regno Pers. lib. I. & ego in Curt. 33, 14. Nec aliter Constantinopolitani Caesares, quos in*



patriciorum ordinem retulerant, *patres Imperatoris* vocabantur, l. fin. C. de Conf. lib. XII. §. 4. Inst. quib, mod. ius pat. pot. solu.

XX. Ob hæc atque talia potentissimi Principes Electoribus cesserunt. etiam Carolus Burgundus & sanguine, & potentia & Spiritu regio Princeps, Anno MCCCCLXXIII. *Treuiris in prima mensa superiori parte, sedebat serenissimus Imperator Fridericus in medio, latere vero dextro Episcopus Moguntinus, Episcopus Treuirensis &c. latere vero sinistro Carolus Dux Burgundie, Maximilianus Dux Austria &c.* Magnum Chron. Belgic. Quamquam ille Dux esset sexies, Comes quindicies &c. Limnæus de iure publ. 3, 2, 3. Ergo & in Concilio Tridentino quum Archiepiscopus secundum temporis prærogatiuam sedere placuisset, Electoribus Archiepiscopis reliqui cesserunt omnes sederuntque illi *in sedie più nobili delle comuni, dirimpetto à gli Oratori di Cesare, in sedibus nobilioribus, ex aduerso Oratorum Cesaris, Pallauic. del Concil. Trid. II, 15.* Adde Limnæum d. l. & ibi citatum Cerem. Eccles. sect. XIII. cap. III. Et quum superioribus annis Elector Colonienfis Romam iturus esset, Cardinales & Papa decreuerunt, locum eidandum inter Cardinales Episcopos, ante ceteros Cardinalium ordines; quod ab Electore non est acceptum, sed itineris eius consilium depositum. In coronatione Caroli V. neque Regis Angliæ, neq; Pontificis legatis Electores cesserunt, vt supra 2, 36. relatum est. Semper enim, vt grauitur Cardinali cuidam nuper respondit magni nominis Comes, idemq; sui Electoris primarius minister, Electores Imperii existimauerunt, dignitate Cardinalium dignitatem suam eminentiorem esse. Idque satis apparuit Anno Christi MCCCCLXXXIII. Tum enim, vt Bzouius in Annal. Ecclesiasticis num. eius Anni XVIII. notat, Urbanus Papa VI. *in Germanicæ gentis gratiam, tribus Imperii Electoribus, sedes Archiepiscopales implentibus, sacram purpuram detulit.* Ceterum illi. (quod quidem prætermisit Bzouius, habet autem citatus ab ipso Mutius de reb. Germ. lib. XXVI.) *recusarunt. qua causa autem noluerint suscipere eam dignitatem, nescio, ait idem Mutius.* Fuerint autem & aliæ causæ. sed probabile est & hanc fuisse, *ne viderentur descendere à maiori ad minorem gradum.* quam ob causam vsque ad Bonifacium VIII. (qui A. C. MCCC. Iubileum primus instituit) *Episcopi (nedū Archiep. non fiebant Cardinales, vt ex praxi Episc. V. Episcopus §. 15. refert M. Ant. de Dominis de Rep. Ecclesiast. 4, 5, 26. Theodor. à Niem de Schismate 1, 43: scribit, eo tempore præter Electores, etiam Arnoldo Leodiensi, nec non Venceslao Vratislauenfi Episcopis itemq; Petro de Rosenberg presbytero* Card.



be III. ET S. R. ECCL. CARDIN. PRÆCEDENTIA. 61
Cardinalitiam oblatam dignitatem fuisse; verum ab omnibus unanimiter recusatam. Quin & Anno Domini MCCCCIX. Episcopus Vormaciensis, quum à Gregorio XII. Cardinalis crearetur, noluit acceptare, ut dicit idem Theodoric. 3, 39.

XXI. Post ista vix dignum sit notari, quod Electores iure & prerogatiuis vtuntur Præfecti Prætorio. Camman. Disp. VI. th. 70. Schönborn. Polit. 5, 34. Ergo & ab illorum sententiis appellari Aur. B. vetuit. Spreng. de mod. Imp. Rom. Germ. cap. IX. pr. ex Schneidevv. de feud. p. 2. n. 81. Quamquam sane comparatione illa potestatem Electoralem minus exprimi recte notauit Heigius q. 4. n. 18. & seqq. iudicio Arnisæi de Repub. cap. VI. num. LXX.

XXII. Et superiora quidem omnia vsque adeo certa sunt, ut nemo possit esse peritus rerum, qui dubitet ceterum alia nonnulla patiuntur controuersiam. Maxima autem illa est, & totum ius Electorale precarium factura, si obtineat, quod à Pontifice hunc ordinem institutum esse contenditur. Et hoc non Pontificii modo plerique omnes; sed ipsum quoque Ius Pontificium adseuerat cap. Venerabilem X de elect. & Clementina. Romani Principes de iureiur. Respondemus cum viro plurimæ lectionis atq; iudicii exactissimi Conringio, de Germ. Imp. Republ. pag. 109. Præterquam quod multa falsa hæc contineant, esse etiam domestica testimonia, quibus adhibere fidem, solidam foret. Ad alia quoque argumenta satis est responsum, & luculenter demonstratum, Electorum hoc Collegium vix ante fata Friderici II. fuisse institutum, hoc est plus ducentis quinquaginta post Gregorium V. annis. Id egerunt Auentinus, Panuinius, Baronius, Cutsenius, Lehman, Thuanus, Conringius. quos citat & sequitur Philoec. de Vicariatu Palat. cap. VII. num. 12. Ceterum totius negotii nemo adhuc quod sciam constituit hypothesin, quæ non impingat in aliquam harum quæstionum. Cur ergo tam diu creditum est à Gregorio processisse hoc institutum? Quod si ab Imperatore, cur nulla exstat vsquam constitutio? Numquid consuetudine quadam occulta potius, & latentibus principiis? Si ante Fridericum II. introductum id Collegium est, cur à nemine fide digno illis temporibus memoratur? Si à Friderico, cur posteriores aliquot Imperatores non ita electi? Si diu post Fridericum, cur memoratur à Martino, quem Polonum cognominant? Postremo quid sibi voluit quolibet horum casuum Innocentius IV. quum in Concilio Lugdunensi Septem viros Electores Imperii constitueret? Existimo sane si quis eam negotii descriptionem adferre possit,

H. 3

quæ

quæ satisfaciatur his quæstionibus vniuersis, eam vtique fore vehementer probabilem. Experiamur iudicium doctorum de sequenti.

XXIII. Gregorius Papa nihil omnino constituere de Imperatore eligendo potuit Pontificis iure; quum eo tempore Pontificum ipsorum electio iuris esset Imperatorii. Rem nec ignotam, opinor, neque vero controuersam dicimus. Si quid igitur constitutum est eo tempore, iubendi auctoritas ab Ottone III. profecta est: quædam approbatio (non vt Domini, sed vt Consiliiarii) à Pontifice, consensus à populo Romano. consensus, inquam, nō vt libere contrahentium, sed vt subditorum, iussis Imperatoriis se parituros recipientium. Nec agi de Electione potuit, quæ dudum erat introducta. Nec enim extincta Carolina stirpe, aut Conradus Salicus, aut Henricus Auiceps hereditarium Imperium tenuere. At ab Ottone I. successio tenuit. Certe. nec eo minus Electio iam erat introducta, quoties nimirum sine liberis Imperator decederet. Prorsus vt in veteri Rom. Imperio, ab initiis eius vsque ad Galbam nulla fuit electio. *Vnius familie quasi hereditas fuimus*, ait ille apud Tacit. H. 1, 16, 2. additque: *loco libertatis erit, quod eligi cepimus*. At idem, qui hæc modo dixerat, statim ostendit se Pisonem adoptare successorem sibi. Atq; hoc deinceps etiam cōstanter obseruatum. Vespasianum filius Titus excepit; hunc Domitianus frater. Hoc sine liberis occiso, sicut ante Nerone, rursus ad electionem itum. repertus Nerua. Nerua statim Traianum arrogat; Traianus Hadrianum. Pari modo ad Pium Antoninum, & ad Marcum manauit Imperium. qui primus à Vespasiano successorē filium habuit. Idemque postea quoque Romæ, idem Constantinopoli factum. Et donec Caroli Magni domus floruit, conqueuit electio. Sed & post Ottones similes quædam electionis atque successionis vices fuerunt: nec ante crediderim prorsus abolitam esse successionem, quam Electores valuerunt; firmissimus aduersus hereditarium Imperium obex. Apparet igitur, si potestas de Electione statuendi Gregorio fuisset, causam tamen non fuisse. Sed nec locus, nec modus tantis de rebus statuendi probari Germanis potuisset. Aliquid tamen factum oportuit, quod occasionem daret tam vulgatæ inueteratæque famæ.

Φήμη δὲ ἔτις πάντων ἀπόλλυται, ἦντινα πολλοὶ

λαοὶ φημίζουσι, canit Hesiodus.

XXIV. Prorsus existimo verum hic Baronium esse, quatenus duntaxat in Annal. Eccles. DCCCCXCVI, 52. conicit orbitatem Ottonis, & æmulos Principes causam dedisse cogitandi, quemadmodum apud Ger.

Germanos Imperatoria dignitas permaneret. Hoc igitur tum decretum oportet, non debere Romanos vllum de cetero putare Romanum Imperatorem esse, nisi Regem Germaniæ. Lex igitur Romæ lata, Romanos obligatura, Germanos vero neutiquam, quibus de Electione quidquam præscribere neque Pontifex potuit; neque etiam potuit, vel ipse, vel Imperator, velle. Causa enim, vti diximus deerat. Consideremus tēporum istorum scenam. Extingto Caroli sanguine Germania, quæ tum erat in Imperii Romani possessione ad Saxones peruenerat: Galliæ Regnum ad Capeti posteros. Hucusq; non magnopere inter Germanos Gallosq; certatum est, quum & in Germania Conradus primum dein Henricus, mox Otto bellis Vngaricis aut ciuilibus distinerentur; & in Gallia turbulentissimus status esset, vt ex Frodoardi Annalibus certum. Sed in Italia interim exorti sunt, qui se Imperatores ferrent. atque hos non dubitamus Romanis Transalpinorum osoribus strenuis, fuisse fauorabiles. Nam vt de Berengario taceam, qui teste *Spangenberg in Mansfeld. Chronic. cap. CXXXVI.* Imperatorem se appellabat; Sigonius ipse l. VI. de Regno Ital. satis diserte scribit, de Ioanne Papa; *quia tamquam Italus, valde ab externorum imperio abhorreret Berengarium (cum filio Adelberto) vt qui Italici sanguinis esset, sibi in Italia retinendum, Othonem vero vt hominem Germanum inde eiiciendum existimauit. plerisq; Romanorum consiliis eius, vt honestum ac salutare Italie, comprobantibus.* Per hæc tempora rebus in Gallia compositis, Lotharius Rex bellum Ottoni secundo monit, quod pace finitum est, per quam Rex pro se & successoribus iuri quod in Germanicum Imperiū prætederat, renunciauit. *Spangenberg cap. CXLVII.* Sed & Græci Imperatores Italiam cum Imperatorio titulo Germanis eripere conati sunt Saracenorum auxilio. Peucer. lib. IV. Chron. Carion. Post excessum Ottonis II. Crescentius Romanus adfectauit Imperium, Sigon. lib. VII. neque huic pro solita perfidia, quæ nimium frequens in Ottones adnotatur, Romani sui defuerunt. Quis igitur miretur, oppresso Crescentio Cæsarem, qui & Romanorum cōpertam haberet leuitatem, & multorum intentas in hanc dignitatem cupiditates, simul orbitatem suam reputaret; prospicere Germaniæ, noua lege Romanorum obstringendo inconstantiam, voluisse?

XXV. Quid igitur sit eo tempore constitutum & quare, non vanis opinor coniecturis eruimus. Cur autē Papæ potius hanc constitutionem quam Cæsaris vocare sequentes maluerint, non potest esse dubium. Iam tum magnum erat vt vidimus Germanorum odium Romæ. huic nihil deces-

decessit postea: sed accessit etiam contemptus: denique celeriter ea fuit animorum persuasio, ut non modo Pontificum hæc esse iura furiose contenderent; sed etiam incredibili væcordia, quasi præterita reuocari possent, quidquid vñquam decretum esset, adscriberent alicui Pontificum. Inde perpetuum Baronii vafrauentum, quæcumque sunt in Ecclesia veteri Concilia, vñicumque acta, ea referre omnia ad auctoritatem Papæ, cuius scilicet locum tenuerint quicumque præfuerunt, ut iam exspectemus aliquem, qui adfirmet in Concilio, quo Christus condemnatus est, Caiapham præfuisse tamquam Legatum Romani Pontificis. Ab eadem libidine mentiendi profectum est, de Electorum Septemviratu constitutum esse ab illo Gregorio. Sed nec ostendi posse alium Papam ad vsque tempora Innocentii IV. talis cuiusdam Constitutionis Auctorem ipse fatetur Baronius, qui tamen illam de Gregorio fabulam vanitatis coarguit. Ab Innocentio denique profectum ille vult Septenarium numerum Electorum: ut tamen à quo Papa deinde fuerint instituti, qui postmodum obtinuerunt se fateatur ignorare. nam quatuor ab Innocentio nominatorum numquam reperiri Electorum officio functi.

XXVI. *A quonam autem, inquit, Annal. DCCCCXCVI, 67. retento Electorum septenario numero profecta fuerit ista mutatio, num ab eodem Innocentio, vel aliquo ex successoribus eius hoc fatemur nos latere. Neq; Bellarminus quidquam adfert certius. Nos quoq; fatemur nescire à quo Chalipha Babylonio facta fuerit ista mutatio: nisi quod vñum scire videmur, in hoc negotio prorsus Germanico, nullum esse debuisse externorum auctoritatem. Quid autem vana ista & futili creatione Electorum quæsitum fuerit Innocentio, quæq; technæ eius euentum habuerint, considerandum est. Friderici II. potentia, vires, prudentia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia, vicinitas (nam in Italia contra morem veterum Imperatorum habitabat; Germaniam per filium administrabat) formidolosa atque suspecta fuerit Romano Sacerdotum Senatui. Visum est Flaminiibus Romanensibus Imperium Germanum magis florere, quam ipsis vtile foret. Placuit id contundere atque discordia non solum debilitare, sed in cineres quoque atque fauillas redigere, & Fridericum huncce à fastigio rerum humanarum deturbare, ut scribit Augustinus Annal. Boior. lib. VII.*

XXVII. Hinc illæ temporum istorum furia, horrendæq; calamitates, quæ scripta Blondi, Krantzii, Naucleri & ceterorum implerere. Ut compendio dicam Papa cum Principibus Germanis agebat, ut alium Imperatorem eligerent. sed quidam Principes rescripserunt, non esse sui iuris

Am.

Imperatorem constituere, ait Abbas Stadenſis ad Ann. MCCXL. quæ profecto verba non ita ſicco pede tranſeunda ſunt. Vides negare quosdam Principes ſui iuris eſſe Imperatorem conſtituere. vt fuiſſe certum habetur. quando igitur habere deſierunt? An non neceſſario ſequitur, hoc adeo fuiſſe factum nuper, vt etiam Pontifex vel neſcire adhuc mutationem illam, vel diſſimulare ſcientiam potuerit: vel, quod vnum reſtat, pro nulla habere ac irrita. Quidni ergo ſtatuiamus, quum ab aliquot iam annis Papa Gregorius IX. nullum non mouiſſet lapidem, vt diſcordiam inter Germanos excitaret: eiusque rei potentiſſimum inſtrumentum haberet multitudinem Principum, in qua ſemper aliquos adducere Pontifices poterant, vt ipſorum in gratiam compoſita turbarent, & electionis iure vel vacante Imperio ad eligendum quem Papa vellet; vel etiam non vacante, ſed Pontifice vacare adfirmante, contra verum Imperatorem abuterentur.

XXVIII. Debit ſane reſiſta tam periculoſo tempore diligenter expendi, & iam à patre Friderici Henrico VI. ceperat: quem teſtatur Magn. Chron. Belg. *vidiſſe regnum Alemannie & Imperium Romanum propter frequentes mutationes Imperatorum, multa mala perpeſſum, priusquam vota Principum in perſona Imperatoris poſſent conuenire. ideoque omnino tollere electionem voluit, ſola ſanguinis ſucceſſione Imperium conferri iubens.* Sed id quidem fieri non potuit, reſiſtentibus Principibus, & maxime Moguntino. Reliquum igitur erat, vt electionis incommoda corrigerentur, diſcordia nimirum, amulationes, bella ciuilia. Non ergo mirum, ſi aliquando excogitari potuit, quemadmodum reſ Imperio tam pernicioſa tolleretur. Id alia ratione nulla quitum eſt, quam qua proceſſit, ad paucos Principes & Imperio magis fidus omne ius electionis reuocando. Aio igitur ſub hæc ipſa tempora hoc fuiſſe factum, & quidem menſe Maio Comitibus Veronæ habitis Anno circiter MCCXLV. Neq; dubitari poteſt Fridericum hoc ita fieri valde voluiſſe: voluntati autem ad fuiſſe robur ab inſigni virtute ac potentia.

XXIX. Vnde ſequitur Imperatoris Principumq; conſenſu factum vt ſeptem Electores, & quidem ii quos nouerunt omnes, conſtituerentur. Cur autem tot numero, & hi potius quam alii conſtituti fuerint, non difficile eſt colligere ex Onuphrio & Philæco. Hoc igitur eſt, quod ab eodem Stadenſi additur: *Ex prætaxatione Principum & conſenſu eligunt Imperatorem Treuirenſis Moguntinus & Coloniensis: & de ſecularibus eligit Palatinus qui (quia) dapifer eſt, Dux Saxonie quia Mareſchallus, & Margrauius de*

ord. JIXXX

I

Bran-



Brandenburg quia Camerarius, Rex Bohemie Pincerna est: non tamen eligit quia non est Teutonicus. Hæc verba citat etiam Baronius, sed ea subiecta interpretatione, quæ non à veritate tantum, sed etiam à sensu communi abhorreat. Nos id modo, quod apertum est accipimus, iam temporibus Friderici II. iisdem enim & Abbas ille scripsit, hos institutos Septem viros fuisse. Idque clarissimum fit ex Innocentii IV. facto: qui Anno MCCXLV. in Concilio Lugdunensi Septem etiam Electores Imperii, sed vt temerario incepto ita vano exitu creauit.

XXX. Amabo enim qua de causa potuit ille de Collegio Electorali instituendo cogitare, nisi studio ad se trahendi omnem in Imperio potestatem, hoc suum Collegium opponere Imperatorio voluit? Eadem ex re colligi non dubitanter potest, neque à prioribus Papis quidquam tale constitutum; neque nihil adhuc constitutum in Imperio fuisse. Si enim prædecessores Innocentii constituerant, quæ causa mutandi? Si autem in Imperio Principes communiter adhuc eligebant, quæ spes huius adimendi iuris esse potuit Papæ? Scilicet si ius istud tum adhuc retinuissent Principes, ad solam huius denunciationem protinus erant cessuri, nemine ausuro dicere, *Sancte Pater quid facis?* sed ex eorum responso, quod annis abinde aliquot Gregorio Papæ dederant, clarissime apparuit, quosdam Principes, neque de postremis, hos enim forte non sollicitasset Pontifex, iam tum negasse *sui iuris esse, Imperatorem constituere.*

XXXI. Cur autem non eosdem nominauit Innocentius, siquidem erant ante hoc tempus constituti? Annon enim sic quoque sui beneficii fecisset quidquid hoc nomine conferebatur eximii honoris ac potentia? Sane sed magis hoc apparebat, si dedisset hoc quibusdam antea præteritis, & sibi quod hinc accepturi essent, in solidum debituris. Deinde potior scopus erat turbandi Germaniam qui amittebatur nisi pomū hoc Eridis inter Principes iaceretur. Cur autem non mutauit omnes? Id quoque non erat è re quærentis discordiam, nam improbum ceptum aut derisum ab omnibus, aut à tam insigni Collegio vnanimite oppugnatum, exitum habere non potuisset. Relictis igitur quatuor, tres exauctorauit, subrogatis in eorum loca Salisburgensi, & Ducibus Austriae, ac Brabantia. Quæris quibus dotibus hi placere potuererint? Nescio, nisi quod suspicor duas fuisse præcipuas, potentiam, & Imperatorem odia. hanc vt cuperent turbare Germaniam; illam, vt possent. Nam & qui mutabantur, non alio crimine displicebant, quam fidei in Principem. Id ex veterum monumentorum situ, quatenus potest eruemus.

XXXII. Abro-

XXXII. Abrogabantur ex ordine Episcoporum Treuir: ex ordine Principum Rex Bohemiæ, & Marchio Brandenburgicus. Nam quatuor fuisse mutatos incogitanter Baronius scripsit. non enim Persona, sed descriptio alia est in Innocentii nomenclatura. *Bauaria Ducem* appellat, quem constat eundem & Palatinum Rheni fuisse Ottonem cognomento Illustrem. Qualis occasio Treuirum excludendum Papæ suggesserit. videamus. Treuirensi tum Ecclesiæ schisma acciderat. Anno enim MCCXLII. duo fuerant electi Arnoldus & Rudolphus, qui *Ducis Lotharingiæ superioris, & de Lutzenborch & Seyne Comitum potentia & auxiliis* subleuabatur, vt scribit Magn. Chron. Belg. vnde colligas fuisse Cæsareanum. Nam Matthæus II. Dux Lotharingiæ, qui Comitis Lutzenburgi Conradi filiam habuit in matrimonio, fidus Cæsari fuit. Vide Trelai Epigrammata in Reges & Duces Austrasiæ pag. 102. Ergo Papæ non potuit gratus esse Rodolphus. Arnoldum confirmauit quidem Innocentius, sed quando sit hoc factum non reperio. ceterum vel ipsum quoque non putabat sibi commodissimum; vel ob certamen cum æmulo viribus haud perinde validum. Et erat bona occasio spoliandi Treuirensis Ecclesiam Electionis iure, interea dum inter duos competitores à neutro satis defenditur. Non igitur mirum de Salisburgensi cogitatum esse, non infirmum opibus, & Pontifici addictiorem.

XXXIII. Iam quod ad ceteros attinet, Bohemiæ Regem (tum vivebat Wenceslaus I.) cur remotum voluerit, Austriæ Duce Friderico substituto, non apparet, historicorum eius temporis inopia. nisi quod prætextus in vulgum speciosus erat, non debere hunc eligere, *quia Teutonius non sit*; & inter vicinos ac potentes Principes feri discordias aline Romanæ sedis intererat. Sed, inquit Bzou. Annal. Eccles. MCCXLV, 12. Innocentium *Venceslao filio Regis Bohemiæ, vt neptem Ducis Austriae sibi in quarto gradu propinquam in matrimonium adsumeret; propter tollendas inter Regem atque Ducem discordias, concessit.* Audio. Sed quia Venceslai pater iam An. MCCXXXI. mortuus erat, teste Reusnero in Genealog. vbi diem etiam exprimit Kal. Ian. non video quomodo hoc anno 1245. dici possit *filius Regis.* Hæc igitur in medio relinquam. Brandenburgicus Ioannes I. patris exemplo fidus erat Cæsari, sed neque opibus tam quidem, neq; locorum opportunitate tam futurus vtilis amicus Innocentio; quam Henricus Dux Brabantiae atque Lotharingiæ. quem adeo putauit commodum instrumentum fore Pontifex, vt ad eum mitteret, *pollicitus, si acceptare vellet regnum Romanum, facturum se, vt in Regem eligeretur.* Magn. Chron. Belg. pag. 236. f.

XXXIV. Numquam tamen hos pontificios Electores iuris istius possessionē adeptos esse colligitur ex eo, quod statim Anno MCCXLVII. à septem prioribus Electoribus ad Imperium vocatus est Wilhelmus Hollandiæ Comes, Tritthemius in Chron. Hirsang. & ex eo Bzou. Annal. MCCXLVIII, I. quod licet viri docti putant à Tritthemio scriptum, magis ex suo more, quam testimonio veterum; tamen certum est Septemuiros Wilhelmi coronationi interfuisse omnes Aquisgrani, & officia sua impleuisse. hoc enim ex veteribus Hollandiæ Chronicis idem Magn. Chron. Belgicum refert. Et credi potest, modo Casarem alium creassent quilibet Electores, Pontificem facile potuisse adquietescere: & Electores, vt locum suum, & pacem Germaniæ retinerent, Pontifici voluisse gratificari. hoc magis, quod Fridericus, non modo Pontificiis fulminibus toties confossus, sed etiam bello ad Parmam diu improspere gesto in Siciliam auitum Regnū transgressus, pudore defectionis omnes exsoluit. Ex superioribus cuiuslibet facile iam erit colligere, qui ergo factū fuerit, vt postmodum multæ adhuc obseruentur in Electionibus turbæ.

XXXV. Nouum institutum, inter tantos ciuiles tumultus, tantos à Papa concitatos fluctus, non incipere simul, & coalescere potuit. Inde Regis Bohemiæ ius in dubium vocari ceptum, & in Iure Saxonico, itemq; Stadenfi Abbate scriptum, hunc *non eligere, quia non sit Teutonicus*. Adeoq; videmus opinionem illam inualuisse, vt Rudolpho I. peculiari diplomate Anno MCCXC. declarandum fuerit, *Regem Bohemiæ & suos heredes in Electione Regis Romanorum, futuri Imperatoris, cum cæteris Electoribus habere debere, ad similitudinem aliorum Electorum, eligendi plenarium ius & vocem*. Addit, *hæc iura Pincernatus & Electoratus etiam suis progenitoribus, abauis, atauis, proauis, auis, iure plenissime competebant*. Quæ uerba tametsi nostram sententiã impugnare videantur, commode tamé exposita nihil pugnant. Nam hæc opposita videntur istis vulgo tum receptis: Non elegit, quia nō est Teutonicus. Testatur ergo Rudolphus, antiquitus ipsis competisse ius Electionis; quod nihilominus potest esse verum, etiamsi nondum erat constitutum Septemuirale Collegium. Nec enim nos negamus, ante Fridericum II. electores fuisse; Septemuiratum fuisse nemo adhuc liquido docuit.

XXXVI. Quod autem Rudolphus Elector Palatinus Anno MCCCLVI. vt refert Gevold. de Sacr. Rom. Imperii Septemuiratu cap. IX. *profitetur, quod Bohemiæ Reges ab Atauis, proauis, & progenitoribus suis habuerunt &c. ius & vocem &c. in electione Romani Regis*; id nos quasi

XXXVII. Anno

Belg. pag. 108. ma-

manu ducit ad ipsa Septemuiratus incunabula. Regis Bohemiarum titulum habebat *Venceslaus etatis sue anno secundo, permittente patre, regni Bohemici sceptrum affecutus*, Æn. Sylv. Hist. Bohem. cap. XXXIV. hic igitur ius suum deduxit ab atavo Wenceslao, quem primum inter Bohemiarum Reges Imperii Septemuirum fuisse dicimus. quo autem consilio Wenceslai huius senioris atavum investigandum sibi crediderit Gevvoldus, non exputo. coniectura tamen est, confudisse illum duos eodem nomine Reges Bohemiarum. Quod autem occupauimus dicere, fuisse spatio quodam opus, donec auctoritas Electorum coalesceret, etiam evidens fit ex sequentibus. Nam (si verus est Bzouius) Anno Christi MCCXLVI. Innocentius, ut eum (Henricum Turingiæ Lantgrauum) *rebus Imperii deploratis Septemuirum præficere*. Regni (leg. Regi) Boëmiae, Principibus Teutoniæ, habentibus potestatem eligendi, Duci Bauariæ, Saxonie, Brabantie, Brunsvicensi, Marchionibus Brandeburgensibus & Misnensibus, atque inter Ecclesiasticos Archiepiscopo Coloniensi, & Episcopo Herbipolensi præscripsit. Hoc enim verbum ibi, siue voluntate auctoris impudenter; siue errore typhothetæ pro perscripsit, eo loco legitur.

XXXVII. Mox Alexander IV. An. MCCLVI. ad Moguntinum Electorem superbas literas scripsit, Conradinū Friderici II. nepotem vetans eligi: ni parerent, ei coelectoribusque (sic enim appellat in literis apud Bzouium relatis princ. eius anni) excommunicationem minitatus. Anno autem sequenti MCCLVII. discors electio facta Coloniense, Moguntino, Palatino, Richardum Angli Regis fratrem eligentibus; Treuerensi & Saxone Alphonsum Castellæ Regem. his accessit Brandenburgensis, cuius absentis partes implebat Saxo, & Regis Bohemiarum legatus. Bzouius. Hoc schisma peperit interregnum ferme XVI. annorum, neutro Regum electorum magnopere curante res Germanicas. Et quamquam postea quidam actus in electione Rudolphi I. Adolphi Alberti F. Henrici Lucenburgensis, concorditer celebrati, satis confirmasse ius Electorum viderentur; nihilominus post discordem Electionem Ludouici IV. & Friderici Ducis Austriæ, quum Papa Ioannes XXII. certamen foueret, & agnoscere Ludouicum, licet à quinque electum, nollet: Electores concorditer Anno MCCCXXXVIII. literis publicis professi sunt, *se in suo honore, iuribus, consuetudinibus, & priuilegiis quæ ab Imperio habeant, his temporibus & antea, vehementer impeditos ac molestatos fuisse ac esse.* quod profecto mirandum esset, si ex mente Gevvoldi (apud quem ista leguntur cap. X.) iam ab Ottone III. eadem observatio tenuisset.

XXXVIII. Satis igitur pro modo præsentis loci planum fecimus: Electorem ordinem, non à Gregorio, sed aliquot sæculis postea; neque vero à Pontifice (licet enim confessione quibusdam in illo tenebrarum regno cæcitas temporum & improbitas hominū extorserit) sed aduersus illorum artes constitutum esse. Quod vel eadem Electorum literæ manifestum faciunt, à quibus enim se querantur *vehementer impeditos ac molestatos fuisse ac esse*, satis docent eorundem literæ Benedicto XII. scriptæ eodem Anno MCCCXXXVIII. itemque aliæ Ludouici Imperatoris, quas ipse Bzouius Annal. Eccles. n. 4. eiusdem Anni repræsentat. Tabulas autem institutionis non exstare, post ista quæ digessimus, nemini mirum esse videbitur. Præsertim si secum reputet, quomodo Fridericus II. vltimos annos vitæ consumserit extra Germaniam: & Imperium mox alias atque alias per domos oberrauerit. At Romæ non reperiri Gregorii V. diploma, si quod fuisset, iustioris admirationis esset: quum Archiua Pontificia semper vno loco, aut forte duobus, si Auenionem addas, seruata, à talibus periculis, qualibus Imperatoria tabularia confictari poterant, diligentissime custodirentur.

XXXIX. Nec ideo dicendum cum nonnullis (Vide Sprenger. de Mod. Imp. Rom-Germ. cap. IX.) *Electorum ordinem tacito principum consensu occultis initiis interueniente prolixitate temporis memoriam hominum superantis introductum esse*. quod ex prioribus citra laborem vllum refellas. Electorum igitur origine vere demonstrata, vltro iam cōcidunt improbe petulanterque contra supremi in Imperio collegii Maiestatem iactata; quibus & ille Ordo, & Imperium totum Pontificis iam non potestati tantum (quod ipsum satis erat intolerabile) sed plane libidini subiicitur. Omnia enim falso & temerario fundamēto nituntur, à Papa constitutos Electores esse. quod ab huius mancipiis deinde more ipsorum sine modo sine fine extenditur. Huius generis sunt: *Papam posse Imperatoris electores instituere, aut institutos ex rationabili causa mutare*, summa Syluestriana voce Electio. III. num. 5. *sicut ab Apostolica sede hoc (Electio) Alemannis sit concessum: ita cum expediret vnitati & paci Christianitatis posset immutari*. Ibid. num. 6. *Ex huiusmodi potestate eligendi ad ipsos Principes ab ecclesia Romana peruentione seu translatione satis congruū esse & rationabile, quod etiam nominatio & approbatio electionis, vel saltem persone electi, petatur & recipiatur ab ecclesia Rom. per electum in Regem & Imperatorem*. apud Lupold. de Bebenburg. de Iurib. Regni & Imp. cap. XII.

XL. De-

XL. Decretum hoc Papæ stare firmum, & inuiolabile, donec ipse reuocet; neque licere vel Imperatori, vel Interregibus, aut etiam omnibus coniunctis Principibus, numerum istum Electorum à Pontifice sacratum tollere, vel immutare, numero isti alios addere, vel demere &c. blaterat Cutsenius Saxonice Cathol. pag. 144. Imo (ait idem pag. seq.) vt hoc sub correctione dicam, ad Imperatorem, & tempore interregni, ad congregatos Imperii Principes spectat de suis tractare differentiis, aliisque in Imperio occurrentibus causis, & necessitatibus, autoritate propria, & absoluta, modo ster, quoad Electores vtriusque status Principum ordo, & numerus Apostolica autoritate sancitus; neque in eo preualeant ob labem aliquam ab Ecclesia denunciati. Adde istud plane palmarium, & vel solum Cardinalitio pileo contra non charum facinus Baronii, tam memoriter adseuerantis, Annal. Eccles. DCCCCXCVI, 67. & ab Innocentio IV. septem Electores institutos; & vel ab ipso, vel eius successore Alexandro IV. quosdam eorum commutatos esse. atque hæc tam paradoxa, non modo vult ideo vera videri, quia bis mentitus est, sed etiam tam putrido fundamento voces inædificat ad perpetuam Imperii nostri vexationem aperientes Papis viam. Nam cuius fuit de septem Electoribus legem condere (ait ille) non alterius quam ipsius esse potuit eam aliquo modo mutare, vel quomodolibet moderari. Horum verborum vim si quis minus intelligit, Roma commentarium petat, censeo.

XLI. Aduersus ista atque talia, quæ magno numero apud hoc genus autores leguntur, Caroli V. Oratores in Conuentu Caletano, Anno MDXXI. mense Sept. Gallis electum illum Imperatorem esse, nondum tamen confirmatum caussantibus, eoque primum locum facientibus controuersum, rectissime responderunt; sibi ab legitime electo missis, non minus priorem locum & dignitatem deberi, atque si à coronato Romæ adessent, cum sola Electio plenam ac liberam Imperii potestatem, nomenq; imperatorium electo concedat, non pontificia vlla confirmatio ac coronatio, quam non necesse habeat is, qui nolit, impetrare, Kirchner. de iure leg. 2, 5, 74. Sixtin. de regal. lib. I. cap. IV. n. 13. quod idè in Comitibus aliquando dixisse testatur Bodin. de Repub. 2, 6. Maximilianum I. De Caletensi certamine multa disputat vtramq; in partem Cassanæus Catalogi Parte V. Confid. XXIX. licet pro cōtraria decidat, homo in tantum inepte superstitiosus, vt etiam principii loco adferat, per Christum B. Petro & successoribus tradita esse, vtriusque Regni gubernacula, quia videlicet hoc Papæ quidam videntur adseruisse. Ceterum etiam eidem Christo dixerat nescio quis: sibi data esse hæc omnia, & se concedere posse cui vellet. sed non erat verum.

XLII. Et

XLII. Ergo & gloriosissimus Imperator Ferdinandus I. contra Pontificem volentem irritam facere ipsius electionem, quod resignatio Imperii à Carolo V. non in ipsius sed Electorum manus facta esset, Imperii decus defendit, vt supra adduximus num. 3. h. cap. ex Conringio. Papa tum adducebat & hanc causam, quod scilicet, cum (Ferdinandus) Francfordiæ declararetur Cæsar, interfuerint tres Electores Laici, quas ipse non censet amplius pro Electoribus habendos, cum Lutheranismum Ecclesiæ Romanæ præferant, Wolff Læctio. Memorab. Centen. XVI. pag. 691. ex Vergerio. Ceterum Papam nullo pacto electionem Imperatorum impugnare posset, docuit etiam tempore Ludouici IV. Marsilius in Defens. Pacis pag. 294. inter alia his verbis: quamuis Imperator nondum per illius (Papæ) verba vel scripta, confirmatus aut approbatus exstitit sicut pridem euidenter ostendimus, nec indiget confirmari, ab electionis de se factæ & publicatæ per electores tempore citra se regem Romanorum continuo, sicut secundum veritatem fuit, & est, scribi ac nominari facit ac fecit. Imperialia quoque siue regalia quæq; quod etiam de iure tenetur, & potest, in omnibus administrat. Et Io. Tritthemijs sine lib. de orig. Francor. de Reg. Germaniæ sic decernit: Ad regnum per Principes eligitur, & nullius confirmatione indiget; ad Imperium vero quod est Regno iure annexum per Pontificem Romanum & confirmari debet & vngi. Vbi vox debet est obligatoria Pontificis magis, quam Imperatoris. Tantumdem enim valet, atque si diceret, A Principibus electum, Papa tenetur confirmare & vngere. Idque proficisci ex vi Gregoriana decreti supra num. 24. h. cap. ostensum est.

XLIII. Electores etiam à Papa non dependere Camera iudicat. Mynsing. Obseru. 1, 14. se meminisse dicit, daß einer in Prophan. Sachen ad Pontificem habe appellirt (puta ab Electore Ecclesiastico) es sey aber bey der Camer inhibiret worden / per mandatum avocatorium 29. Oct. A. MDXC. Symph. tom. III. f. 33. Sprenger. de mod. Imp. Rom. Germ. cap. IX. Superfunt tria, nec magni ponderis, quæ solent ab Electoralis dignitatis hostibus opponi. Nempe Electorem nomen esse officii. Nam & ab hac causa in concilio Basiliensi prælatum Electoribus esse Ducem Burgundiæ narrat Cassan. Parte V. Confid. XLIV. quia Electores habebant solum nomen officii, & Dux Burgundiæ nomen dignitatis. Quasi vero Dux non esset nomen officii! Quin & Rex, & Imperator, quid aliud sunt, quam officii nomina? Aut quasi Archiepiscopus, Comes Patavinus, Marchio, non essent nomina dignitatum, si Dux tale nomen est! Aut quasi denique plerique Electores non etiam essent Duces! Sed hic prætextus potius quam causa fuit.


Nam

Nam apud homines omnia suis utilitatibus metientes valuit Burgundus, quia plura fecerat pro Ecclesia Romana quam Electores Imperii. Cassan. Ibid.

XLIV. Secundo obiicitur Electores esse Bambergensis Episcopi clientes. Sed est brevis & certa responsio non Electoratus, sed officia quatuor sæcularium Electorum in feudis haberi Bambergensis Ecclesiæ. Vide Sprenger. & exemplar inuestituræ talis apud Gevvold de Septemuir. cap. X. & Becker de iure publ. 10, 17. ostendit grauitè in eo hallucinari Spangenberg. in Chron. Sax. cap. CLXI. & Sturt. de Imp. Rom. cap. XXXVI. num. 12. quod non distinguunt Electoratum, quem habent immediate ab Imperio; & Officia quæ recognoscunt à Bambergensi. Qua in re fallit etiam Chron. MS. Bamberg. Martini Hofmani in verbis à Gevvoldo relatis: *Cæsar &c. statuit, vt Principes Electores Ecclesiæ Babebergensis Officiarii & Vasalli essent: & Imperii feuda quæ electorali nomine ac titulo tenent, ab Episcopo Babebergensi acciprent.* Nam id quidem ipsis inuestituræ tabulis apud Gevvold. refellitur, vbi Bambergensis Palatino concedere in feudum dicit *officium Dapiferatus Ecclesiæ nostre.* quæ etiam formula comparet in literis, quas seruant Archiua Palatina. Tertium argumentum est Bodini, propter officia Imperatori in curia solenni exhiberi solita, Electores ab eo pro seruis haberi scribere ausi, quod uix responsione dignum est. Illa enim ipsa officia Pincernæ, Dapiferi, Mareschalli, Camerarii, semper apud Reges data sunt danturque nobilissimis quibusque, atque præstantissimis viris. Modo Galliam suam adspexisset, reperisset ibi quasi ordinariè magni Camerarii officium penes Principes sanguinis fuisse Limnæus in Notit. Regni Franc. 2, 15. not. ff. vnde coniecturam & de reliquis facere nemini erit laboriosum. Obiter addo talia quædam officia videri non modo ad maioris pompæ speciem in solennibus epulis administrata per viros principes: sed etiam, ab initio quidem in secretioribus, quo liceret submotis ministris inferioribus, quibuscum nulla consilia communicantur, super mensam de publicis negotiis loqui. Cuius rei hodieque imago sæpe exprimitur apud lautiores; quum maioris in confabulando libertatis causa famulis relegatis, heriles filii aut ipsi interdum heri, nisi dignitate multo antecedant ceteros, huiusmodi ministeria sponte solent capessere.

K

DIA



DIATRIBE IV.

Breuiarium.

(1.) Cardinalium incrementa. (2.) praesertim Stephano IV. Papa ann. 769.
 (3.) & reliquis Papis, quorum in Imperatores odia eminent.
 (4.) praeter Vestem eximiam, praecellunt potestate eligendi Papa & coronandi.
 (5.) post Papam anteponuntur omnibus. (6.) sunt Papae consiliarii & senatores.
 (7.) totius Ecclesiae procuratores & Commissarii. (8.) coniunctim cum Papa
 nominantur. (9.) sine iis Papa non potest legem condere generalem. (10.) Ve-
 niunt in partem maiestatis, dicuntur cognati Regum. (11.) Regibus equipa-
 rantur. (12.) nolunt cedere Electoribus & Regibus. (13.) sunt Regum Protectores
 in aula Romae. (14.) purpurati sunt. (15.) possunt conuenire Papa inuito.
 (16.) possunt concilium cogere. (17.) Monendi Papam ius habent. (18.) Patri-
 archis praeferuntur. (19.) (20.) Alia praerogatiua iudicantur. (21.) Papa ne-
 gligenti aut inutili possunt substituere curatores.

DE Cardinalium dignitatibus, maximis dumtaxat, & eminentia pari modo dicendum. Nam & his ingentia multa tribui subinde cepere. postquam Caroli Magni temporibus, uti cap. I. vidimus, aucta multarum ditionum imperio Romana Ecclesia, factisque Principibus Imperii quibusdam Ecclesiasticis (ut obseruat Felix Faber Hist. Sueu. 2, 2.) iam antiquissimis institutis adherere minime fuit integrum. Quod etiam agnoscit Bellarmin. de Clero I, 16. Accidit enim tum quoque, quod aliquando in eadem Roma Gallus Asinius disseruit: *Auctu imperii adoleuisse etiam priuatas opes; idque non nouum, sed e vetustissimis moribus aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam; & cuncta ad Remp. referri: qua tenui, angustas ciuium domos; postquam eo magnificentiae venerit, gliscere singulas &c.* Tacit. Annal. 2, 33, 3.

II. Non ergo potuerunt hi non ad tolli magnifice, quum plerumque; Papae coniungerentur. ut apud Matth. Parisiensem de schismate Graecae Ecclesiae sub Gregorio Papa: *Super quo dominus Papa & Cardinales tractatum habentes diligentem proposuerunt, exercitum cruce signatorum vniuersalem super eos reflectere,* Wolf. Lect. Memorab. Centen. XIV. Adde Marfil. Defens. Pacis pluribus locis, & hoc insigni ex dictione II. cap. II. *Cuius (Ecclesiae Romanae urbis) ministri & praesidentes sunt Papa Romanus, & Cardinales ipsius, qui iam ex vsu quodam obtinuerunt dici Ecclesia.* Obser-

Obseruamus immo apud Heimburgum in admonit. de Vsurp. Papat. Rom. etiam præponi Cardinales, in verbis: *Ex quibus patet, quæ fuit Cardinalium Papatumque intentio.* Ceterum Anno DCCLXIX. multum accessit dignitati Cardinalium, quum in Synodo Romana Stephano IV. Papa decretum est: *ne vllus vnquam præsumat laicorum, neque ex alio ordine nisi per distinctos gradus adscendens diaconus vel presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacri Pontificatus honorem possit promoueri.* Baron. Annal. DCCLXIX, 4. Vnde facile intelligas, quare proximi Romæ Episcopi, Cardinalium Eccl. Romanæ nomen recusare desierint. Tum enim primum mentionem *de septem Episcopis Cardinalibus* reperiri testatur Idem Ibidem num. 12. qui & mox DCCCIV, 4. Cardinalium subscriptionem ante Episcopos reperit.

III. Sed maxime debent incrementa sua Cardinales his Pontificibus, quorum in Imperatores nota sunt odia. Nec enim aliter augere suam potentiam poterant, nisi Imperatoriam minuerent. Ergo Innocentius IV. de quo supra multum agendum fuit, primus instituit Cardinalium rubros pileos (*flammeos* vocat Theodor. à Niem de Schism. 1, 43. quali colere Persæ gestant pileos, & ob hoc à Turcis *Kisulbassæ* vocantur) & equites iussit incedere, vt testantur plerique, nimirum Petau. Rationat. pag. 568. Gutberleth. Chron. pag. 420. Blondus lib. VII. & ex eo Æn. Sylu. in Epitome. Vincent. in Speculo lib. XXXI. Berthauld. Flor. Franc. cap. XXII. Marc. Ant. de Domin. 4, 5, 54. Chron. Carion. Viretus de factis successor. Christi 4, 25. Dresser. Millen. V. Bzouius Annal. Ecclef. MCCXLV, 2. Befoldi Thesaur. Pract. Platina in Vita Innocent. IV. Ineptus est Tolofanus de Republ. 25, 1, 11. Cardinalium vestem à Constantino M. repetens, cui opinioni contrariam ipse posuerat eiusdem operis 4, 11, 8. vbi disertè scribit, Cardinales eam vestem *non ad pompam, sed in symbolum gerere, tanquam existentes parati effundere pro Christi fide &c.* quæ omnia non temere conciliabuntur cum verbis Constantinianæ Donationis.

IV. Sed missa veste considerentur cetera. Summa autem videtur esse Cardinalium dignitas atque potestas, etiam Bellarmino teste, quod soli creant Pontifices; soli creantur. Sed & soli ius habent coronandi creatum. Vnde non obscurum est, quanta esse debeat propterea Cardinalium apud Papam auctoritas. Torcellanus quidem num. 7. & 12. comparat eos Apostolis (sicut & Æn. Sylu. de morib. Germ. & acute Henr. Kalteisen apud Bzou. MCCCCXXXIII, 312. & Summa Syluestrina)



vt Papam Petro; & dicit secundum Iuristas, quod sint maiores in administratione, quam sint Episcopi, licet non in ordine. & n. 19. dicit Cardinalatum potestatem iurisdictionis potius quam ordinis esse. (quod latius expomt de Dominis 4, 5, 59.) & n. 21. officii sui intuitu magis honorandos esse quam Episcopos, tamquam in hoc vniuersalem Ecclesiam representantes, nec posse Papam ab eis auferre ius eligendi sine consensu vniuersalis Ecclesie, siue Concilii eam representantis. Adde de Dominis 4, 5, 30. Ecclesie vniuersalis cum Papa gubernatores vocantem & aliorum sensu, & Bellarmin. de Clero 1, 16. item Apolog. contra præfat. Regis Angl. c. IV.

V. Olim sane multum sibi tribuerunt. Apud Ottom. Frising. de gest. Frid. I. lib. I. cap. LVII. Sacer Cardinalium Senatus cum magna mentis indignatione curiam intrat, ac tamquam vnum corpus effecti, vna omnes voce pontifici suo dicunt. Scire debes, quod à nobis per quos tanquam per cardines vniuersalis ecclesie voluitur axis, ad regimen totius ecclesie promotus, à priuato vniuersalis pater effectus, iam deinceps re non tuum, sed nostrum potius esse oportere, nec priuatas & modernas amicitias antiquis & communibus præponere, sed omnium utilitati consulere, Romanæque curie culmen ex officii tui necessitudine curare, & obseruare debere. & eodem cap. Ecclesie sub capite (Papa) summa membra appellantur. Igitur iam haud dubie in Ecclesia quidem Romana post Papam anteponuntur omnibus. VII. Decretal. 14, 4. Hostiens. & Io. Andr. in cap. Dilectus X. de Præbend. cum aliis relatis per Mandos. ad reg. Cancell. Regula XXXII. q. 1. n. 1. Cassanæus in Catalogo Parte IV. Confid. IX. §. Aduerti. & ibi citati.

VI. Non ergo miremur in publicis momentis legi talia: Pontifex Maximus de fratrum suorum consensu, dat in feudum regnum Sardinie & Corsicæ, proprietatem Ecclesie Romanæ &c. Bodin. de Republ. 1, 2. Adde cap. V. de pœnis in VI. Constitut. Sixti V. in Decretal. 7, 5, 10. cap. Hoc nostri, & similia plurima. Cardinales enim sunt Papæ Consiliarii & Senatores, Mandos. in glos. ad regul. Cancell. ad Bullam regentis Camerae §. considerantes. lit. a. Loth. de re benef. q. 8. n. 42. Pontanus quidem Iesuita in progymn. lib. IV. pag. 510. vt recentes testas mature hoc odore imbuat, docet pueros synonyma haberi Cardinales, & summum Ecclesie & Orbis Christiani (NB.) consilium. Inde partem corporis Papæ & membra nobiliora nominat Bulla facultat. regentis Camerae, vbi Mandosii glossa §. considerantes lit. f. Cassan. Parte IV. Confid. XVIII. Marc. Anton. de Dominis 4, 5, 50. respectiue Ecclesie caput & membra, Liber intitulat. Tria Conclauia, pag. 44. Membra Papæ, Zabarell. de Schismate Innoc. VII. in sexto modo.

&

& ipsi Papæ inuisceratos, Hostiensis in cap. Antiq. sub num. 5. versu, sed
 quæri potest X. de priuileg. Cassanæus Parte IV. Confid. X. Immo Car-
 dinalium & Papæ quandam Identitatem esse docet ibid. Cassan. itemque
 Io. Andr. & alii relati per Loth. de re beneficiar. quæst. 8. n. 39. & seqq.
 Eul. Pacian de probat. 2, 32. n. 14.

VII. Constantiense decretum, ex auctoritate Scholæ Parisiensis (vt
 colligit de Dominis 4, 5, 45.) Cardinalibus illud noui, & ante illa tempora vix
 auditi numeris tribuit, vt essent non tam Ecclesiæ Romanæ Clerici, & Ministri,
 quam totius vniuersalis Ecclesiæ quasi Procuratores, & Commissarii, qui nomine
 totius Ecclesiæ vniuersalis, Romani Pontificis, quatenus Papa est, & caput Ecclesiæ,
 essent Electores. Sed & Concilium Basil. Sess. XXIII. summo Pontifici S. R. E.
 Cardinales, in dirigenda Christiana Republica collaterales assistere pronūciat,
 apud Bzou. Annal. Eccles. MCCCCXXXVI. Eundem in sensum Platina
 in Orat. de pace Italiæ pr. nescio quæ de Paulo II. prædicans, effecta dicit
 collegio cardinalium adiuuante. Idem nempe verbum viro docto placuit,
 quod olim Imp. Vespasiano sententia sua tribuebat Priscus Heluidius
 apud Tacit. Hist. 4, 9, 3. vt Capitolium publice restitueretur, adiuuaret Vespas-
 ianus. Aeneas quoq; Syluius de moribus Germaniæ scribit Papæ assistere
 Cardinales & c. quorum consilio res arduas summus præsul agitare consuevit.
 quos Torcellan. de potest. Papæ num. 3. & nos diuino iure putat esse
 Coadiutores Romani Pontificis, & simul cum Papa vniuersalem Ecclesiam ad-
 ministrare; quod tamen n. 8. deducit ex Pontificum institutione, & Ecclesiæ
 approbatione, seu receptione, & consensu.

VIII. Turrecremata citatus supra 1, 19. tradit dominorum Cardina-
 lium consilio & assensu summum Pontificem regere, disponere atque gubernare
 vniuersalem Ecclesiam. Inde sæpissime coniunctim cum Papa nominantur,
 vt in Princ. huius cap. attigimus. Sic in Annal. Ret. Anglic. sub An.
 MDXXVIII. Campegius Cardinalis in hæc verba loquutus traditur:
 piam Regis benignitatem, quod rebus eorum afflictis tanta liberalitate voluerit
 succurrere, Papæ & vniuerso Cardinalium cætui acceptissimam fuisse. & ibid.
 Anno MDXXXIV. Paulus III. Henricum Regem coacto Cardinaliū cætu,
 regio titulo & omni dignitate priuauit. Sic Auentinus lib. VII. excommuni-
 cationem Friderici non magis Gregorio Papæ tribuit, quam Romano Sacer-
 dotum Senatui.

IX. Præcipue vero inter Cardinales, qui Cancellarius erat, olim de
 pari contendere voluit cum Papa ex gloria, propter excellentiam tantæ dignitatis,
 teste Callan. Catalogi Parte IV. Confid. XIII. pr. Et hæc non caussa est,

cur Romana sedes cancellarii nomine non utatur, non autem quas adducit, & ipse dissimulanter refutat Æn. Sylu. de morib. German. Quid ergo mirum, si Cardinales mores suos ab Urbano VI. reprehendi tam agre tulerunt, ut fuerint increpationes illæ intempestivæ fomentum schismatis sequētis. Theod. à Niem. 1, 5. Iac. Meier in Chron. Flandr. An. MCCCLXXVIII. Apud Cardinal. Zabarell. de Schismate Innocentii VII. & Bened. in sexto modo multa decernuntur magnifice pro Cardinalibus. inter quæ, id quod Papam dicitur omnia posse, intelligi quando facit consilio habito cum fratribus. Item Papam sine Cardinalibus non posse concedere (condere) legem generalem de vniuersali statu Ecclesie. Et paulo ante: quod licet dicatur Papa habere plenitudinem potestatis, non debet tamen sic intelligi quod solus possit omnia. Sed intelligitur quod Papa, id est ecclesia Romana que representatur in Papa, tanquam in capite, & Cardinalibus, tanquam in membris plenitudinem eam habeat.

X. Hinc in Defensore Pacis 2, 19. Marsilius Patau. *Decretales aut Decreta Romani Pontificis, & suorum collegii clericorū quos Cardinales appellant, nominat. & 2, 26. auctoritatem illius solum episcopi, aut cum solo suorum clericorum cœtu vel synodo: & addit Papam usurpationi consentire atque participare Cardinales.* Et profecto videntur in partem venire Maiestatis. Nam Cardinales sacrosancti habentur, Polani Hist. Concil. Trid. lib. IV. pag. 303. eorumque violatores grauius puniuntur, VII. Decretal. 1, 4, 2. fiuntque rei læsæ maiestatis, Ibid. cap. seq. Item cap. Felicis de pænis. in VI. Loth. de re benef. q. 8. n. 44. Reinking de reg. Rom. Imp. 3, 2, 30, 34. Arnif. de Maieft. 1, 1, 7. Ergo & Cardinalis primus sedet ante Regem, Guicciard. lib. I. in hist. Anni MCCCCXCV. Immo vilissimus mendicus, si fiat Cardinalis, vocabit se cognatum summorum Regum, & illi vicissim voce & scriptis nuncupabunt eum cognatum suam, Car. Molin. apud Wolf. Tom. II. pag. 613.

XI. Ita Carolus V. Card. Wolfæum lanii filium cognati nomine in epistolis compellere non est dedignatus. Annal. Rer. Anglic. ad An. MDXXII. Cardinales enim, quorum consilio vniuersalis Ecclesie administratio nititur, Regibus equiparari dixit Bald. in l. 1. ff. de off. prætor. Ias. in l. 1. n. 9. ff. de off. eius & c. Iacobat. de Concil. lib. I. n. 144. Benius de Priuileg. Part. III. priuileg. LIV. n. 16. Cassan. in Catal. glor. Mundi Parte IV. Confid. X. & ibi citati. & Parte VII. Confid. II. §. Tertio. Spiegel. in Lexico Iuris. Scaccia de appell. q. XVI. limit. 10. n. 1. Lanf. Orat. pro Ital. ex Staplet. in Admir. Rom. Eccl. lib. II. cap. XIII. & quidam apud M. Ant. de Dominis 4, 5, 32. Anno MDXXI. Brugis Wolfæo Card. Anglo prandenti & cenanti, flexis poplitibus (id quod inter Germanos inauditum) ministrabatur, Paraleip. ad Abbat.

Abbat. Vrsperg. & Annal. Rer. Anglic. vbi plura. Immo iam olim Imperatorum se fratres ferebant (haben Brüderschafft mit ihnen gemacht) sub communi patre Papa. Nam ad Fridericum I. missi Rolandus tit. S. Marci, Bernhardus tit. S. Clementis Cardd. hoc exordio vsi sunt: *Salut at vos beatissimus pater noster Papa Adrianus: & vniuersitas Cardinalium S. Romanae Ecclesiae: Ille, vt pater: illi, vt fratres.* Crus. Annal. Sued. ad Ann. MCLVII.

XII. His, & hodierno Cæremoniali Romano conuenienter Collegium Cardinalium nuper admodum vetuit quemquam ex suo numero Electoribus etiam in propria domo cedere, teste nobilissimi sanguinis Cardinale, qui hoc diserte dixit Leodii circa Domin. Palmarum Anno hoc MDCLIX. Neq; dubitare licet. *Cardinali enim etiam de viue vocis oraculo principis creditur, vt docet Benicas. de constitut. pag. 239. f. Et profecto, si reges, principes, archiepiscopis & episcopis suis, sicut debent, reuerenter assurgunt, & eis venerabilem sedem assignant,* teste Papa in cap. Sollicitæ de maior. & obed. quanto magis hoc præstare debet Cardinalibus? Itaq; propter hoc caput, siue vt ipsa verba Cassanæ ponam, Catal. Parte V. Confid. XXXI. *de quo, murmurant plures contra Principes huius sæculi præcedentes Episcopos & Cardinales ab eis feuda tenentes.* Et quidem Cardinalium cœtui Reges, licet in & extra Regnum quouis Card. maiores, non dedignantur loco cedere, Menoch. Conf. DCCCCII. n. 71. Loth. de re benef. q. VIII. n. 75. *Ceteri vero principes omnes, quemadmodum Regibus cedunt, sic etiam cedunt Cardinalibus,* citati apud Dominis 4, 5, 32.

XIII. Sunt autem Cardinales etiam Regum Protectores in aula Romana, vt nunc est Cardin. Atestinus Gallia. & Frehero notas in Lupoldi de Bebenburg cap. XIII. scribente erat qui se hoc titulo splendide iactaret; *Octavius Cardinalis Parauicinus, S. Rom. Imperii protector.* Minus ergo mirandum, si fulgentes hodie purpura videmus, quæ Regii decoris est insigne, vt ait Hieron. in Isai. cap. LXI. adeo quidem vt κατ' αὐτονομία σὶ αὐτῶν pro Regno vel Imperio ponatur, vt à Claud. de IV. Conf. Honorii:

--- --- -- vltro se purpura supplex:

Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.

Inde locutiones eorundem temporum, *adorare purpuram.* l. 3. C. Theod. de domest. & protect. l. 4. 8. & 9. Ib. de diuers. off. & appar. *adorare muricem,* l. 16. Ib. de diu. off. & appar. *contingere purpuram principis,* l. 3. & 4. Ib. de dom. & prot. *purpuram adtingere,* d. l. 16. de diu. off. Inde *purpuram sumere.* idem erat quod imperium sumere, vt late docet Salmas. in Trebell. Pollio-

Pollionem pag. 193. vers. 23. & deinceps, & ad pag. 197. vers. 34. *Romani imperatores (ait) soli purpurati, eorumque proprium gestamen purpura.*

XIV. Hodie vero ita propria Cardinalium est purpura, ut hinc vulgo appelletur *il Cardinale sco colore*. Ex ante dictis apparet error Tolofani de Republ. 4, 11, 8. *Purpuratos* vocantis, *qui ad latus principis sunt, quique venerantur sacra purpuram*. Purpurati enim non sunt, nisi qui vestiuntur purpura. dicitur enim *purpuratus*, ut *annulatus*, *parmatus*, *prætextatus*, *togatus* &c. quæ omnia gestamen aliquod adsignificant. Quæ consideratio facile nos deducet ad veram causam, cur hunc habitum tribuerit Cardinalibus Pontifex, licet aliam præferret. Cupiebat enim eos adæquare Regibus. Porro quum Imperatorium insigne sit purpura, hi etiam purpurati exercuerunt sæpe Imperatoria munera. Exempla suggerit Iulianus Cardinalis, qui anno MCCCCXLIV. prælio contra Turcas occubuit. Card. Carilla Innocentii VI. legatus, Turfelli. Ep. Hist. lib. IX. Ludouicus Card. Patriarcha Aquilegiensis, a quod Æn. Syluium in libello de moribus Germanorum. Platina in Paulo II. Wilhelmus & Octavianus Cardinales, cæsi in Apulia quum Friderico I. facerent bellum, Matth. Paris. in hist. Angl. & alii plerique, de quibus omnibus dicere possis, quod de se dicebat Card. Ximenes (Floresta Espann. 1, 2, 5.) *famum pulueris tormentarii suauiorems iis thure fuisse*. Et quo minus hoc mirum videatur, certum est Cardinales multos ex Regiis atque Principalibus esse familiis. Vnde illi, ut digniores, trahunt ad se minus dignos ex collegio, & sui splendoris lucem illis impertiuntur. per ea quæ tradit Auctor von des Reichs Ritterschafft Session. num. 364. Nam in re communi per alios priuilegium consequor, quod meo iure nequeo. arg. l. 10. ff. quemadm. seru. amitt. & aliarum citatarum Ibid. num. 411. Ita totum collegium radiis primorum splendebit, ut hodiernus potius Senatus Romæ confessus Regum esse videatur, quam ille de quo Pyrrhi legatus id pronunciauit Cineas. Flor. 1, 18. Plutarch. Pyrrho.

XV. Cardinales possunt conuenire etiam Papa inuito. Sic enim septem Cardinales in appellatione Pisis interposita ad Gregorium XII. apud Bzou. Annal Eccles. MCCCCVIII. pag. 1408. 2. m. *Aliud mandatum quod fecit Beat. Vra. iisdem Cardinalibus, fuit tale. Item sub pœna periurii, quam incurrent ipso facto, precipimus & mandamus eisdem, ne vltcrius congregentur in aliquo loco, sine expresso mandato nostro. Cuius quidem præcepti nullitas, & iniquitas, & iniustitia manifeste patet. primo quia mandatum hoc est contra ius Collegii, quod habent Cardinales de iure & antiqua consuetudine, à tanto*

rem,

tempore, cuius initii memoria in contrarium non existit, quod ius Collegii principaliter consistit in conueniendo simul, & tractando negotia ad ipsum Collegium pertinentia: quod ius & facultas ab eis sine causa auferri non debet. Item Cardinales tenentur collegialiter inter se tractare, & conferre de causa Fidei, & heresis, & schismatum, prout in communi se obligarunt. solenniter per votum & iuramentum; ac mutuo quidem tractare vniuersaliter & singulariter, de vnienda Ecclesia, quod fieri non potest, nisi collegialiter congregentur. Hanc igitur facultatem nobis interdicare, est non solum nolle per se attendere ad vniionem Ecclesie, sed etiam prohibere ipsis, ne ad eam attendant: quod omnino est iniquum & abominabile. Item, quod nunquam iuratum fuit per ipsos Cardinales, vel aliquem ipsorum, quod se non congregabunt, tunc iuramentum fidelitatis & obedientie si quod præstiterunt, non extenditur ad hoc, quod de iure facere possunt.

XVI. Immo possunt non inter se modo conuenire, sed etiam Concilium cogere. Sicut fecerunt Cardinales Gregorii XII. & Bened. XIII. qui statuerunt ex consilio Theologorum, Iurisperitorum, ac inprimis Oratorum (Legatorum) consensu iudicantium, non tantum posse, sed etiam debere, eo casu, quo dubitatio est notoria, de vno legitimo, citra conditionem eligendo Rom. Pontifice, Concilium à Collegio Cardinalium conuocari. Bzouius MCCCCVIII. n. 12. Adde Theodor. à Niem 3, 38. de Schism. & eiusd. Nemus Vnionis Tract. VI. cap. XLV. Fortius adhuc Iulii II. Cardinales quorum tantummodo quinque, licet de legitimo Pontifice non dubitaretur, Concilium indixerunt. Vide Guthberlet. Chronol. & præcipue Bembum Hist. Ven. lib. XII. Guicciard. lib. IX. pag. 532. & 533. Surium Comment. ad An. MDXI. traxerant autem in partes Maximilianum Cæsarem, Ludouicum XII. Gallie Regem, cum Germaniæ, Gallie, & Insuubrium Clere. Hi nempe credidisse videntur Petro Damiani, de cuius sententia Cardinales præter communem Ecclesie regulam, super ipsos quoque Pontifices, authenticam prævalent seruare censuram, vt tot apicibus scriptum exstat in Annalib. Eccles. Baronii MLXI, II.

XVII. Monendi vtique Papam ius esse penes Cardinales demonstratur apud M. Ant. de Dominis 4, 5, 42, 49. & 52. maxime ex Concil. Basil. Session. XXIII. Durius est, quod Card. Zebarellis de Schismate Innocentii VII. & Benedicti PP. propius à fine, quum ex iis quæ statuerat, sequeretur quod Cardinales possent Papam deponere sine Concilio, subiicit: Respondeo quod standum esset argumento, nisi aliud esset ab ipsa ecclesia receptum.

L

Quip.

Quippe Cardinalium collegium representat vniuersalem ecclesiam, & eius vice fungitur, in his quæ concernunt electionem Papæ. Ibid. Ergo si molestus sit Pontifex ab eo prouocant tam Cardinales, vt apud Bzou. MCCCCVIII. pag. 282. quam alii, vt Gregorius Heimburg (cuius pag. 87. vide) & deinde Carolus V. de cuius aduersus Papam actionibus editus est libellus Moguntia, Anno Christiano MDXXVII. in quo plurima hanc ad quæstionem pertinentia leguntur, vt alia similia præteream.

XVIII. Cardinales præferuntur etiam Patriarchis. Loth. de re benef. q. VIII. n. 58. & seqq. *Maiore enim dignatione esse censetur Cardinalis quilibet, quam episcopus & archiepiscopus atque etiam patriarcha.* Cromer. de reb. Polon. lib. XXII. Apud Baron. Annal. MLXI, II. Petrus Damiani de Cardinalib. Episcopis: *qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt: & quibusdam aliis prerogatiuis, non modo quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum atque Primatum iura transcendunt.* Et sic iudicatum est An. MCCCCLL. in comitiis Petricouia pro Sligneo cardinali contra Gnesnensem Archiepiscopum. Cromer. d. I. Nec in tota Romana antiquitate dignitatis vllus apex est post Imperatorium, cui non æquiparentur Cardinales. vt *proconsulibus* in lectura Mandelli pag. 124. m. Cassan. Parte IV. Confid. XVIII. *praefectis praetorio à Cassan.* Catal. Parte IV. Confid. XV. §. Et aduerte, & ibi citatis. *Patriçius & Consulibus* apud M. Ant. de Dominis 4, 5, 57. *Senatorum vrbis vicem* implent apud Æn. Sylu. de morib. Germanorum. Henr. Kalteisen apud Bzou. MCCCCXXXIII, 12. per Archid. de offic. leg. c. I. lib. VI.

XIX. Alia minora, quod videlicet *priuatum carcerem* habere Cardinales possunt, Bonifac. de furt. pag. 142. quod liberi sunt à *Contributionibus*, Tolosan. Polit. 3, 7, 49. quod *Cardinalis testamentum* conditum de antiqua, præsumatur. Papæ licentiam habuisse, Hieron. de Monte de fin. regund. pag. 241. f. quod habent *Auditores*, Mandelli Lectura pag. 26. quod *donare* possunt etiam intuitu Cardinalatus quæsitæ, Papias de Constit. Princ. 197. m. hæc inquam, & talia non puto hic esse copiosius referenda. qui vult adire poterit Nic. Boërium de Præminencia sacri Consilii. Albericum de Rosate in rubr. ff. de statu hominum, Onuphrium Panuinium de titulis Cardinalium, M. Steph. de iurisdic. lib. III. part. I. c. 5. fol. 77. Anton. Cucchum in Instit. Iur. Can. lib. I. de Cardinal. dignit. & officio. Conrad. Lancelot. in Templo omn. Iudic. fol. 679.

Sta-

be IV. ET S. R. ECCL. CARDIN. PRÆCEDENTIA. 83
Scapleton. de magna Eccles. Rom. lib. II. VII. Decretal. lib. I. tit. de
Cardinal. Chronica Chronicorum parte I. fol. 707. Cohelii Notitiam
Cardinalium, quam audio nuper prodisse Romæ, M. Anton. de Domi-
nis de Republ. Christ. lib. V. & seqq. Archidiac. in cap. Vbi periculum. de
elect. in VI. Manfredi Tract. de Cardinalibus.

XX. Illud tamen non insuper haberi debet, quod à quibusdam de-
fenditur, *Cardinalem legitimum non esse, qui de consensu expresso, aut saltem
tacito aliorum Cardinalium non sit creatus*, Torcellan. apud M. Ant. de
Dominis de Republ. Eccles. 4, 5, 46. & seqq. vbi ostenditur idem esse
decretum in Basiliensi Synodo; idem in Constantiensi: licet in Actis
Concilii Constantiensis, quæ nunc eduntur, id Decretum non reperiatur.
Sicut è diuerso Cardinalem à Papa sine Cardinalium consilio deponi
non posse scripserunt Host. & Ioh. And. in c. 2. de cler. non resid. & Andr.
Barbat. ex pluribus in tract. de præstant. Card. qu. VIII. 1. par. quos re-
fert Tapias de Constit. Princ. cap. IX. 2. par. num. 87. Neque paruum
Cardinalitæ dignitatis argumentum est, quod *si obuiant ei qui ad mortem
ducatur Cardinales, pena omnino ei remittitur*, sicut ex Baldo in l. addictos.
de appel. & Barbat. in tract. de præstant. Cardin. in IX. qu. I. part.
Barth. Tægus in Tract. Criminal. Part. XIX. num. 18. Et ne Vicariatu
soli Electores gloriantur, etiam Cardinalem *Vicarium S. R. E.* legimus
Balthasarem Cossam, apud Bzouium MCCCVIII, 15. & Zabarell. de
Schism. Innoc. q. III. docet; *Si videretur utile Collegio deputare Vicarium
seu administratorem sede vacante, vt facilius expedirentur ea que imminent pro
electione vnius summi Pontificis, hoc possent.* vbi addit, *Cardinalium collegium
sede vacante non habere superiorem.*

XXI. Aliquando etiam à multis simul Cardinalibus, Theologis
item, & nonnullis egregiis in vtroque iure Doctoribus defensum est;
quod *si Papa esset nimis negligens & inutilis ad regendum &c. liceret idoneum
curatorem vel aliquos idoneos curatores per Cardinalium electionem substi-
tuere.* Theodoric. à Niem de Schismate 1, 42.

L 2 DIA-

DIATRIBE V.

Breuiarium.

(1.) **D**eclaratis Parallelis, ostenditur quod Electoribus debeat preceden-
tia, primo propter Electionem; siue spectetur electus maior, siue eli-
gentes maiores (2. & 3.) secundo propter Coronationem (4.) tertio propter
comparationem cum Regibus, quæ & firmitior & antiquior apud Electores
(5.) quarto propter crimen maiestatis, quod in Electores & iure committitur; in
Cardinales non aequæ (6.) quinto propter interiorem propinquitatem tanquam
illustriorum membrorum ad illustrius caput (7.) sexto propter ius conuentus
collegialis, inconsulto Imperatore: quod Cardinalibus, inconsulto Papa non
aequæ conuenit (8.) septimo propter titulos, quos Electores habent irrefragabi-
les; Cardinales, dubitabiles (9.) octauo propter electionem Rom. Reg. & iure
Imp. quod Cardinalibus & iure Papa non licet (10.) nono propter depositionis
difficultatem, cum Cardinales facile deponantur, quod exemplis ostenditur (11.)
decimo, quod appellatio cognationis regie in Electoribus, semper est honoris
Regibus; in Cardinalibus, aliquando pudoris (12.) undecimo, propter honorifi-
centiam magnorum Principum, qui Electoribus concedere solent & debent;
non aequæ Cardinalibus (13.) duodecimo, propter comparisonem præf. ptat.
Electoribus excellentius competentem (14.) Hinc progressus fit ad inæqualitatem;
sed opus deficit (15.)

Superiora capita duo summa quæque tum electorum, tum etiam
Cardinalium iura dignitatemque bona fide exhibuerunt. Nihil
ergo restat, præterquam vt his inter se comparatis, vtrius partis
esse debeat deducta in controuersiam Præcedentia fiat manifestum.
Expendemus autem prius ea, quorum vtrunque videtur esse summa
æqualitas; tum etiam reliqua considerabimus. Æqualiter autem vtrique
Ordini tribuuntur, 1. vt maxima eorum potestas & eminentia eluceat
ex Electione, hinc Imperatoris, inde Papæ. 2. vt suum Electum hi pari-
ter atque illi coronent. 3. vt Regibus æquiparentur vtrique. 4. vt crimen
maiestatis committatur in vtrosque. 5. vt sint membra proximiora, hi
Imperatoris, illi Papæ. 6. vt conuenire possint inter se, hi in salutato Im-
peratore, illi Papa. 7. vt ornentur titulis splendidissimis 8. vt illi possint
eligere Regem Romanum etiam viuentem Imperatore, hi Curatoré Papæ
viuentis. 9. vt non facile sit Electorem, aut Cardinalem deponere. 10. vt
tam Electores Ecclesiastici, quam Cardinales Imperatorum Regumque
cognati vocentur. 11. vt Electoribus & Cardinalibus potentissimi Prin-
cipes loco cesserint. 12. vt comparentur præfatis Prætorio. De singulis
ea breuitate, quam in vnoquoque res patietur, videbimus.

II. Et

II. Et prima quidem comparatio extra dubitationem est posita constat enim à solis Electoribus Imperatorem, & à solis Cardinalibus Pontificem eligi. Ceterum & inter electos, & inter electores magna intercedit differentia. Igitur hic quoque spectari interest 1. Vtrumne paris dignitatis Principem eligant? 2. Vtrumne ipsi electores sint pari iure ac dignitate? Ad prioris quæstionis enucleationem repeto disputata superius 2, 26. & seqq. vbi ostensum, iuri diuino, naturali, gentium, & rectæ rationi repugnare, ciuilibus in caussis maiorem haberi Pontificum quam Regum dignitatem. Quod si ex dignitate titulorum, qui sane Pontifici tribuuntur incomparabiles, argumentum sumi oportet (quod quidē factum apparet à Freccia in Addit. ad Tract. Feud. num. XLIX. & apud Thuan. l. 13. Florentinus ex quo Magnus Dux creatus est, Ferrariensi præferri cepit in Gallia) tum vero fatendum est vinci Imperatorem. Ceterum inane hoc totum est, cui enim non licet sibi dari titulos vel portentosissimos: & ridiculum inde certamen existeret, vt superior esset habendus, qui talibus excogitandis ingeniosior esset aut impudentior. Sed talia vltro censemus esse barbarica. Francofurti An. 1562. die 23. Nou. ad Ferdinandum I. legatus Turcicus attulit literas cum ingenti titulo: *Ich bin ein Herr aller Herren zu thun und zu lassen ic ein Herscher alles was nur möglich zu regieren ist*: & alia multa. Initium literarum Saporis ad Constantium: *Rex Regum Sapor, particeps siderum, frater Solis & Luna*, apud Bizar. Histor. Rer. Persic. lib. IV. Firmior pro Pontifice ratio est, quod Imperatores ipsi videntur Papis concedere. Sed dispiciendum vnde hoc procedat? Nam fit hoc aut ab imprudentibus, aut prudentibus. Si proprius error intercedit, quo consensui nihil magis est contrarium. l. 15. ff. de iurisd. faciunt igitur errantes, contrarium ei, quod facerent errore liberati. Sin vero à prudentibus factum remur, benigna concessio est, quæ Præcedentiam non ponit, vt vidimus supra 2, 23. in hospite honorem exhibente minori. Idem est, si fiat in honorem religionis, vt olim in Gallia factum testatur du Tillet en ses memoires lib. II. vbi agens des Princes du sang de France, sic refert: *Anciennement en ce royaume les prelats pairs & non pairs estoient nommez devant les princes du sang, pairs laics, ducs & autres seigneurs temporels: la quelle reuerance (Nota: non enim ius erat debitum, sed honor à volentibus delatus) n'a esté continuée aus dits prelats, par faute (comme est vraysemblable) de suiure les bonnes vie & doctrine qui faisoient honorer leurs predecesseurs.* Fuit igitur benigna tolerantia quæ secundum Innocentium &

quoscumque doctores potest reuocari quandocumque, Apostoli & Responso Dati per Nationem Gallicanam dominis Cardinalibus &c. in Catalogo Test. Verit. p. 239. Nec enim *Vrb. nitas & Modestia obligationem inducunt*, vt monet Besold. Colleg. Polit. Class. II. Disp. V. th. 37. *nec iuri tam fundato per contrarios actus, patientiamque familiarem derogatur*, Decian. Consil. VII. vol. 3. n. 69. &c. Igitur & alia nunc mutata sunt; nec hodie presbyterorum *amasiæ seu vxores, statu & gradu in ecclesiis ac in mensis, eundo, sedendo & stando ceteris dominabus, etiam militaribus preponuntur*, vt suo tempore factum scribit Theodor. de Niem in Nemore Vnionis Tract. VI. cap. XXXV. Pontificem autem Imperatore non esse maiorem iure Diuino norunt omnes, qui scripturas audent legere: quod ad humanum attinet, in Tractatu de Imperatore Romano, *Pontificem Imperatoribus & subiectum fuisse & iure esse debere* demonstrabat Conringius. Papam certe Dominum orbis non esse S. Bernhardinus ostendit apud Æn. Sylu. de morib. Germ. duobus locis. nec in Imperium habere potestatem agnouit Maximil. I. *qui dist. aux Estats de l' Empire, qu' il n'estoit besoin de prendre la couronne Imperiale du Pape; ny s' arrester à felles ceremonies, veu que la puissance souueraine estoit aux Estats*, Bodin. de la Republ. 2. 6. Sed in suos habet Imperium! Id quidem se credere scripserunt ad Ioannem XXII. Græci, sed addiderunt, quantum ad se pertineret, se vero neq; superbiam illius pati, neque implere auaritiam posse, ex epistola Pragensis Vniuersitatis ad Oxoniensem. Viretus in Theatro Antichristi Part. I. cap. 29. Nec enim quisquam, qui non sit Pontificius, vti temporalis domini subditus, in eius potestate remanere cogitur inuitus, postquam errorem agnouerit. Quum enim nulla re alia quam errore vincetus teneatur, consequens est, vt agnita veritate dissiliat id vinculum, & homo in pristinam libertatem vindicetur. Idque Christus ipse confirmat Ioan. 8, 52. *ὃς γινώσκει τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς*. At Imperatoris Maiestatem à DEO constitutam profectamque nouerunt veneranturq; non Imperii modo Romani ciues atque inquilini; sed omnes omnino gentes, quibus aliquod nobiscum commercium est.

III. Ipsos autem Electores, hos inquam Principes nostros, & Cardinales cum inter se comparamus, apparebit similitudinē esse aliquam, æqualitatem non esse. Omnis magna potestas, si in populum spargetur dignitatis expers est: quanto paucioribus datur, tanto efficit illustriores. Romæ quum penes populum essent suffragia, quilibet ciuis Romanus elector erat; sed quia nullum alium eo iure præminebat, non ideo habe-

habebatur splendidior. Hodie quoque si ciues omnes Romani essent Cardinales, non posset tantam istam dignitatem ille ordo tueri. Ergo etiam consentaneum est, eam dignitatis lucem quam Electionis ius in tot Cardinales dispersit, debilioribus singulos illustrare radiis. Anno MDLXV. erant Cardinales numero LXXVI. quorum nomina refert Henr. Pantaleon de Vir. Illustr. Germ. Tom. III. vbi agit de Ottone Cardinali Augustano. Hoc argumentum non esse leue confitetur Ecclesia Romana Catholica, cuius pragmatica sanctione decretum fuit, Cardinales esse debere tantum viginti quatuor. Wolf. Lect. Memorab. Cent. XVI. pag. 27. Bzou. MCCCXXXVI. 9. Quantum ergo discriminis sit in numero apparnit. quid iam in loco, quo differunt à Principibus suis? Annon illi Cæsari prope pares, hi Pontifice longissime inferiores reperiuntur? Electores baldachinos (caelum portatile dicunt alii) habent in Curia Cæsaris: idne Pontifex permittat Cardinalibus. Cläselio quidem id etiam Cæsar negauit Ferdinandus II. Reges & Principes Christiani & alii legatos mittunt ad Electores, & inde admittunt: legatis horum officium comitesque sunt, vt regis, & ad hanc formam cetera: quis hoc audiuit de Cardinalibus? Electorum magnæ ditiones: Cardinalium nullæ. Iam in Electionis modo ritibusque quantum discrimen? Electores quum opus est honorifice inuitantur: non vrgentur inciuiliter, exspectantur etiam aliquando, vt nuper, satis diu: denique per mandatarios procuratoresque suos, si comparere ipsis non sit integrum, suffragium efficaciter ferunt. At Cardinales audita morte Papæ, si iure suo vti velint, coguntur accurrere præcipites, compellentur in conclaue si contentur, Summa Syluestr. voce Electio III. n. 4. etiam permittitur principi laico, vt eos compellat Clement. C. Ne Romani §. Porro. quod si inter electionem exire de conclauis subigantur morbo, suffragii sui iacturam faciunt. Postremo mirifice discrepant etiam in eo, quod Electores ab initiis vsque primis continuo fuerunt quod dicuntur; at Cardinales diutissime fuerunt priusquam ius Electionis sibi peculiariter vindicarent. Æneas Syluius de morib. German. quem libellum scripsit anno MCCCCLVIII. testatur hoc ius ad eos pertinere ab annis ferme quadringentis. Ergo non habent iure Cardinalium. aliquot enim seculis antea sine hoc iure fuerunt Cardinales. Ceterum Æneas etiam Syluius rem extendit vltra veram antiquitatem. Nam usque ad Innocentium Secundum per vndecim integra Ecclesie Christi secula, sicut omnes Episcopi, ita

Romanus quoque, Cleri & populi Electione, Episcoporum vero Comprovincialium ordinatione, Romanam sedem acceperit ordinandam. Innocentius hic primus fuit, qui raptim à nonnullis tantum episcopis, & Presbyteris, ac Diaconis Cardinalibus, absque reliqui Cleri, populique consensu factus est Episcopus. vti late demonstrat M. Ant. de Dominis de Rep. Eccles. 4, 11, 11. & seqq. qui num. XV. ita concludit: *Cardinales itaque cum primum soli ceperunt esse Romani Pontificis Electores, per vim & iniuriam contempta iam firmissima Apostolica regula, & totius Ecclesie consuetudinibus, ac statutis innumerabilibus conculcatis, iniqui fuerunt huius Electoratus vsurpatores; & adhuc sunt iniqui eiusdem detentores, ac mala fidei possessores, & quæ ibi multa refutatu sane minime facilia sequuntur.* Consentit hilce quod ex Epistolis Scholarum Pragensis, Oxon. & Paris. adducit Wolf. Memorab. Cent. XIV. pag. 723. *Cardinales non habere electionem Papæ aliquo diuino iure, Casarem & populum Romanum id ius ante habuisse, & adhuc ad se retrahere posse.* Vanum enim est, quod in summa Syluestr. legitur voce Electio 3, 1. quia tali priuilegio abutebantur, eis fuisse sublatum. qualia solidissime refutat M. Ant. de Dom. 4, 11, 24. & seqq.

IV. Secundum Parallelum de coronandis Principibus, ex iisdem ferme distinctionibus, quæ modo sunt adductæ, maiorem arguunt in Electoribus, quam in Cardinalibus dignitatem. Quum enim solitum sit Reges à Regnorum suorum Primatibus consecrari, qua de causa Imperator, vti Rex Regum, à Pontifice tamquam Primatè Primatum coronabatur antiquitus; tamen Electoribus tantum hoc ius in Germania competit, quum alioquin Magdeburgensis Antistes sit Germaniæ Primas. Neque est qui de iure hoc Electoribus moueat controuersiam. At de Dominis 4, 11, 15. satis aperte demonstrat; *Si sede vacante, Canonici Lateranenses cum reliquo Romanorum Ecclesiarum proprio Clero, & Senatu, populoque Romano coniuncti Pontificem Romanum eligerent, & eundem sic electum facerent ab Episcopis circumuicinis, etiam non Cardinalibus (si Episcopi Cardinales renuerent) consecrari; is verus & legitimus esset Rom. Pontifex, multo magis quam ille, quem in Conclauis eligerent Cardinales & consecrarent.*

V. Tertio dictum est Cardinales in eo comparari Electoribus, quod Regibus vtrique æquiparentur. Sed vtris hoc tributum ad imitationem vtrorum remur? *Δηλον δ' ὅτι τὸ ὕψιστον ἀπὸ τῶν πατέρων,* ait Aristoteles Ethic. 3, 15. Prius autem id datum Electoribus esse patebit, si quis comparet vtrimque testimonia. Nam ad Electorum imitationem multa con-

con-

concessa esse Cardinalibus, dum hos illis æquiparare student Pontifices, quis non animaduertit vel ex his parallelis? Et tamen de Electoribus certum ius fundatumque, nec illorum genus, potentia, dignitas dispar. At in Carnalibus id tam fortiter adseuerare non cuiuslibet frontis esse, viderunt ipsi eorum defensores. Vnde Amydenus de stylo Datarix cap. XV. §. 7. q. XVIII. n. 149. dicit *Cardinales comparari Regibus, quoad dignitatem, si non quoad potentiam vel Maiestatem.*

VI. Quarto de crimine Maiestatis similiter se res habet. Nam de Cardinalibus addubatur: in quibus quasi perduellionis tantum crimen admitti statuit Bocer. c. 2. de crim. mai. num. 17. Camman. Disp. Politico Iurid. X. th. 46.

VII. Quinta comparatio fuit, quod de vtrisque dicitur, esse proximiora Principum suorum membra. Ceterum paulo supra innuimus non æqualem esse vtrobiue propinquitatem. Id iam apertius demonstrandum est. Honorabiliorem vbiuis haberi, qui summo Principi proximior est, arg. in §. aliam Inst. de bon. poss. Cassan. Catal. Part. IV. Confid. VIII. Vide supra diat. II. num. XVI. Sed quia non vbiue eodem gradu distant à summa potestate proximi, sed alibi Principes sunt, alibi Nobiles; alibi Liberi, alibi mancipia; facile apparet non eiusdem gradus esse habendos, qui sunt à suis Principibus proximi. Sic enim Balfæ Turcici, aut Knesii Moscouitæ, qui se mancipia dominorum suorum ferunt & præstant; adæquarentur Hispanis, Gallis, ceterorumque Regnorum Christianorum, postremo Germanis Principibus! sunt igitur Cardinales à Papa proximi, vt à Niso Salius Virgilianus Æneid. 5, 320.

Proximus huic, longo sed proximus interuallo

Insequitur Salius.

Id quale sit, optime nobis interpretabitur Cicero in Bruto cap. XLVII. Duobus igitur summis (oratoribus) Crasso & Antonio, L. Philippus proximus accedebat, sed longo interuallo. tamen, proximus. Itaque eum, etsi nemo intercedebat, qui se illi anteferet, neque secundum tamen neque tertium dixerim. Nec enim in quadrigis eum secundum numerauerim, aut tertium, qui vix è carceribus exierit, quum palmam iam primus acceperit: nec in oratoribus, qui tantum absit a primo, vix vt in eodem curriculo esse videatur. Similia nouimus dici de Poëtis ad Virgilium, de vrbibus ad veterem Romam relatis. Hæc facile Cardinalibus applicabit, qui omne humanum fastigium supergressam cogitat Pontificis Maiestatem. Quæ licet falsa est, vt

M

vide-

videmus, & scenica; tamen Cardinalibus hoc excipere non licet. Neque vero cuiquam obscurum esse potest, quid his de rebus, & alii mortales communiter, & ipsi comprimis Imperatores ipsi Papæ indicauerint. Electores quam comiter amplectatur Imperator, quam in omnibus honorifice tractet, nemo nescit. Constat his apud externos etiam Reges populosque suos honor atque veneratio. Sciunt enim omnes, non Imperatoris eos beneficio magis, quam vetustissimo iure opibusque ac nobilitate; rebus denique omnibus, quæ per homines eximiæ habentur, condecorari. At Carpinales si verum volumus, paulo minus quam mancipia Papæ sunt; adeoque omnis illorum splendor ab eo sidere fulget, ut quo longius ab eo absunt, viliores habeantur. Constat enim *digniores haberi, qui sunt in Romana Curia, his qui extra*, Bald. apud Paccian. de Probat. 2, 26, 70. certo argumento non habere eos propriam dignitatem.

VIII. Sexta Comparatio perquam est à parte Cardinalium debilis, ut enim aliqui eorum per occasiones infalutato Papa conuenere: tamen neque hoc impune tulerunt; neque hodie aliquis sibi Cræsi diuitias mereatur, ut hoc asserat Romæ. Et in vniuersum difficile est, Cardinales in eam eniti, quam cupiunt, altitudinem. crescere enim non possunt, nisi vel Papa deprimatur; vel alii Principes opprimantur. At hi satis diligentes suæ dignitatis custodes sunt; ille etiam plusquam satis.

IX. Septima Comparatio titularum est, & ornantur vtrique splendissimis. At Cardinalibus multi tribuuntur ad imitationem Electorum: idque caussis longe imparibus. Ergo neque suos titulos Electoribus conuenire negat quisquam: de Cardinalibus aliter res habet. Præterea non esse iudicandum ex titulis, quos sibi quisque imponit aut arripit, dictum supra. Postremo nemo quod sciam malos etiam titulos Electoribus impingit; At Cardinales, ab aliis per Anagrammatismum *Dicarnales*, ab aliis *Carpinales*, Conrad. Episc. Mogunt. in Chronico apud Wolf. Memorab. Cent. XIII. p. 533. *O Cardinales, carpinales, pacem de terra accepistis, & ut homines se inuicem interficiant, vos fecistis &c.* Sed talia exaggerare nolo. Illud tamen hoc loco dissimulari non debet. olim existimari Cardinales Ecclesiæ exitiosos esse. Ex libro qui inscribitur *Onus Ecclesiæ: Modo verificatur Hieronymi sententia: quod singuli superiores per potentiam vindicant totum, quod inferiorum clericorum est, ac in suos usus redigunt. Mendicat infelix clericus seruili operi mancipatus, qui dum stipen-*

stipendia perdit, clamat ad Dominum & exauditur à Christo: nec differetur diuinæ ultionis sententia, si Cardinales, bona pauperis cleri defraudantes, non reddant vniuersa. Quæ occasione litis inter Nicolaum de Cusa Cardinalem, & Sigismundum Austriæ Archiducem scripta sint, à Gregorio Heimburg, cognosci ex ipso potest. Sane Henric. Pantaleon Parte II. de Vir. Illustr. Germ. ad ann. 1444. hanc vnicam causam esse putat, quod in Germania pauciores Cardinales, quam in reliquis nationibus existant, quia nempe Sigismundus noluit admittere, vt Ecclesias Germanicas pro sua voluntate administrarent. In Gallicanæ Nationis Apostolis, & Responione, vt refertur in Catal. Test. Verit. p. 278. Cardinalium status dicitur nimium Ecclesiæ onerosus, & non necessarius, quod profecto non infirmis argumentis adstruitur. Contra Electorum ordinem salutatque ornamento esse Imperio Romano æqui iniquique omnes confitentur.

X. Octaua Similitudo statuebatur in eo, quod vt Regem Romanum Imperatore viuente Electores; sic etiam Cardinales viuentis Papæ creare Curatorem possint: ex eorum plane genere est, quæ per occasionem aliquando feruidius prolata, tractatu dura, euentu tristitia fuerunt, & nunc plane pro hæreticis Romæ haberentur, sicut & paulo ante ad comparisonem sextam monebamus. itaque non est operæ precium hæc refellere, quæ ne ipsi quidem Cardinales hodierni agnoscerent.

XI. Nona Comparatio in eo stabiliebatur, quod nec Electorem nec Cardinalem facile sit deponere. Nam in creatione nulla est similitudo, quum vulgo creentur Cardinales à Papis, Electorem autem creare, qui non sit hanc ad dignitatem secundum antiqua iura destinatus, summæ difficultatis esse diximus Cap. 3. num. 17. Sed Pontifex Cardinalem aliquem tam facile instituat, destituat, quam pylæum vulpes comest. Sunt quidem ista scripta, quæ Cap. 4. num. 20. attulimus, Cardinalem sine consensu aliorum Cardinalium neque creari neque deponi posse: sed res repugnat. Et Trident. Concil. Sess. XXIV. cap. V. Constantiensi scilicet & Basiliensi longe modestius, timide moneat Papam, vt lectissimos tantum Cardinales adsciscat, Ideoque decreta Conciliorum de ordinatione Cardinalium palam infringuntur, propter priuatas affectiones & commoditates, contra quam censet Torcellan. de potest. Papæ n. 5. Et sane iam Gregorius XII. quum ei leges ponerentur, respondit; ad se vaticane pontificatus pertinere, quos, & quot veller Cardinales creare. Niem de Schismate 3, 14. 331. Vnde est Iurisistius doctorum sententia; Solum Papam etiam

Cardinalibus inuitis Cardinalem creare posse; Benicas. de Constit. Princ. qu. VII. n. 69. per Io. And. & doct. in ca. Sane de conuers. coniug. vide M. Ant. de Dominis 4, 5, 51. Et licet sit quidem numerus Cardinalium taxatus secundum numerum discipulorum Christi, vt habetur in locis his antea allegatis (verba sunt Cassanæ in Catal. glor. Mundi Part. IV. Confid. XII. §. licet.) potest tamen summus Pontifex, extra illum numerum, tot, quot voluerit, creare de sua plenitudine potestatis, & omnes tales numerarios facere si velit.

Et post ista Concilia sic obseruatum est. in tantum quidem vt Iulius III. Si mihi (nomen id homuncio retulerat à præfectura sua, simiæ enim curam in familia gesserat) primum omnium creauerit Cardinalem, suo ipsi pileo dato, quum Pontifex esset appellatus. Caussam ex Sleidano pete sine lib. XXI. Nisi quod Iulius facti sui rationem egregiam reddidit, narrante Thiuano lib. VI. *querentibus enim Cardinalibus, quod indignum hominem ad tantum fastigium euexisset: non inurbane respondit. Et vos quid tandem in me meritorum reperistis, quem Christianæ Reip. principem constitueretis? Vel vt narrat Bodin. de la Repub. 5, 8. Quelle vertu, quelle noblesse, quel sçauoir, quel honneur auez vous trouue en moy, pour me faire Pape? Talia exempla vide in Vireto in Theatro Antichristi 1, 29. Marnix. in Binenforb 6, 3, & 4. Ab Alexandro VI. XII. Cardinales creati propter pecunias leguntur apud Guicciard. Lib. V. in gestis Anni MD. A Leone vero X. simul XXXI. Guicciard. Lib. XIII. Urbanus VI. quum à suis relinquere- tur, simul & semel viginti sex Cardinales vna die creauit, existimans forte quod de tanto numero aliqui huiusmodi Cardinales fastigium vtique acceptarent, Theod. à Niem. de Schismate 1, 12. Idem pronunciauit multos Cardinales de Neapoli oriundos, inter quos erat insignis ille Simonianus Monopolitanensis & c. noui enim Cardinales omnes dicebantur habere personam secundam penes se. sicque honor flamme. i pilei vilissime habebatur in ea ciuitate. vt refert testis oculatus Niem 1, 43. Iouius in Pompoio Columna narrat, expugnata Roma, Clementem VII. concessisse tres purpureos galeros, vt illis licitantibus, qui feda ambitione corrupti ad Senatoriam dignitatem aspirabant, aurum proferrent, eoque modo ad hastam propositis emtores non defuisse. de quibus ita Tolosan. de Republ. 3, 6, 42. Certe puto habitos ideo indignos, quod non per ostium, sed per fenestram ingredi vellent tam sanctissimum senatum. De eodem Papa Guicciard. lib. XVIII. *creò per danari alcuni Cardinali persone la maggior parte indegne di tanto honore.* Paulus III. rubrum galerum sic meruisse scribitur: *Roderico à Borgia Hispano, seu Alexandro VI. fore.**

sororem suam Iuliam Farnesiam stuprandam tradidit, ut Cardinalis & Episcopus Hostiensis fieret. Ex Henr. Corn. Agrippa Wolf. Cent. XVI. p. 127. f. ubi addit & alia quæ commemorare pudet. Sed p. 69. f. pro Alex. VI. Iul. II. nominat ex Vergerio. Sic & Benedictus XII. Franc. Petrarchæ Cardilatum pileum obtulit, si sororis ei pudicitiam proderet, Hieron. Suarzac. in vita Petrarchæ. Quibus profecto temporibus, non minus, quam antiquioribus conueniunt verba Card. Baronii ad Ann. DCCCCXII. *Qualesnam reris delectos ab his monstris* (Papæ eorum temporum notat) *presbyteros & Cardinales fuisse putandum? quum nihil tam natura insitum sit, quam vnumquemque sibi sibilem generare.* En tibi NOBILEM SVCCESIONEM. Ceterum ista monstra monstrasse videntur successoribus suis, quomodo fieri possint à talibus Papæ Cardinalibus, & à talibus Cardinalibus Papæ. Nam quid ego de spuris dicam? Adducam potius fragmentum literarum à Card. Papiensi scriptarum ad Card. ViceCancellarium in Hispaniis legatum Sixti IV. Sicut apud Bzou. Annal. Eccles. MCCCCLXXIII, 14, legitur: *Maio præterito octo Cardinales creauimus. Hoc Iunio eramus pene totidem creaturi, nisi benignitas DEI magis, quam nostra diligentia subuenisset. Dilata tantum non sublata est res. Quo autem ex genere hominum nostrum dedecus paretur, ex aliorum literis plene intelliges. Vnum designabo æque cognitum tibi, ac mihi: Nosti quem totiens Spurium dixisti, quem cauere admonuisti semper: de quo etiam ego in arcanis Commentariis Calixti nostri exempla diplomatum reperi sua manu descripta, quibus vitium ortus ad Sacerdotium & dignitates Ecclesiæ tollebat. Hunc ipsum nunc includere nostro Ordini conabatur, qui potest, ac tanto quidem impetu, ut quoniam modo iacturam hanc euaserimus, ipse demirer. Nil tot annorum constans fama, non Patrum nonnullorum dissuasio, nil etiam testificatio mea valere apud precipitem animum poterat: Michaëlis Ferrarii fides adhibebatur in medium, petebaturque ad testimonium dicendum, vel euocari huc, vel illius accipiendi curam tibi committi. Neutri est assensum. Nescio, an occulte de hoc ipso admonituri sint Michaëlem, & procuratori literas officiosi mendacii &c. in hanc sententiam. Apparet vero istam vafritiem subornandorum testium placuisse mox Pontificibus Alexandro VI. apud Guicciardin. l. I. & Leoni X. apud eundem lib. XII. Sic igitur fieri possunt Cardinales à Papa: ne dubitemus an deponi ab ipso possint.*

Seruare potui, perdere an possim, rogas?

Dicebat apud Quidium Medea. Constat autem Papam Cardinalibus

M 3

non



non minus absolute, quam ceteris suis subditis imperare. Urbanus VI. sex simul Cardinales cepit, angusto carcere continuit, oneravit catenis, ut narrat, qui eos examinavit iussu Papæ Theodoric. à Niem de Schismate 1, 43. 45. & quæstionibus atque tormentis subdidit, Idem 1, 51. & 52. & 53. Bzouius Annal. Eccles. CCCLXXXV, 3. Idem Pontifex etiam Cardinalem de Mampello *captivum penes se multis diebus detinuit*, Niem 1, 67. sed hæc levia præ eo, quod de sex istis Cardinalibus quinque saccis intrusos Neptuno consecrauit (*Winenforb* 2, 10.) quod Genuæ factum scribit H. Mutius Chron. German. lib. XXVI. de qua re sic scribit Niem 1, 60. Urbanus *quadam nocte infra paucos dies antequam de Genua recederet, mense Decembri, ut quidam retulerunt, securi eos percuti seu mactari iussit: aliqui autem dixerunt, quod in mari eos præcipitari fecit: sed qualiter cumque sit, utique ipsi quinque Cardinales postea non videbantur. Fama erat, quod in stabulo equorum Urbani in quadam fossa repleta calce viua eorum corpora proiecta & in ea totaliter combusta & in cineres conuersa fuerunt.* Cardinalis à Iohanne XII. occisus memoratur apud de Dominis 4, 5, 5. Idem cum accepisset è Cardinalium numero duos, ad Italiæ totiusque Ecclesiæ salutem esse cohortatos Othonem Imperatorem, ut confestim in Italiam descenderet, alteri eorum nasum, alteri autem manum, qua scripserat, desecuit. Fulgos. 9, 5. Bonifacius VII. Ioanni Cardinali innocentissimo viro oculos effodi iussit. Ibid. à Iulio II. captos Cardinales ostendit Guiccard. lib. V. & IX. à Leone quoque X. quam seuerè sint habiti, aliquos etiam occisos legas apud eundem lib. XIII. vbi etiam de Alexandro VI. persecutore Cardinalium, quod etiam tangitur à Cominæo 7, 10. Volaterranus Cardinalis, quemadmodum sit tractatus ab Adriano VI. docet Guicciardin. lib. XV. Quomodo Bonifacius Octauus persecutus sit Cardinales, ostendit Hist. Platina in Bonif. VIII. & Bened. XI. Pii IV. imperio Carolo Carafæ Cardinali fracto gutture spiritus interclusus est. Horat. Tursellin. Epit. Hist. l. X. à Nicolao III. Cardinales Vrsini in vinculis habiti; Idem lib. IX. & talia multa designata à Gregorio XII. legas apud Bzou. ad Ann. MCCCCIV. p. 288. in Appellatione Pisis interposita. & apud eundem Bzou. Ibid. p. 293. & Theod. Niem 3, 32. vbi etiam præcipit Cardinalibus Papa *sub pena priuationis Cardinalatus.* Et apud Torcellanum certum est, quod papa solus posset & potest deponere Cardinalem, etiamsi ab Ecclesia ius eligendi Papam haberet. Torcellan. de Potest. Papæ num. 22. A Iulio II. priuatos Cardinales, & mox restitutos ab eodem legimus in Guicciard. lib. X. Card.

Card. Columna priuatus est à Clemente VII. Guicciardin. l. XVII. & ibi notati à Fr. Sansouino Tarcagnota ac Bellaio. Hugo Cardinalis tit. S. Clementis priuatus est à Gregorio VII. vt ipse Greg. auctor est lib. V. post. Epist. XIV. Neque vero dubitatur apud iuris Canonici peritos, *solum Papam deponere Cardinales posse*, Benicas. de Constit. quæst. VII. num. LXIX. nam quod ibi addi ex causa (sicut & Torcellan. apud M. Ant. de Dominis 4, 5, 50.) nihil efficit: quia de causa illa nemo cognoscit. & fingi quælibet potest, *etiam sine delicto, vt ad euitandū scādalum* vt ait Arius Pinel. in rubr. C. de rescind. vend. l. part. cap. II. num. 30. In summa causam *solum* (prætextum verius dixeris) *non autem aliorum Cardinalium consilium requirit* (in abiiciendo Cardinale Pontifex) *ne maior obseruatio in depositione quam in creatione requirenda videatur.* contra reg. l. nihil tam naturale de R. I. Anton. de ad. in. l. vniuersi n. II. C. de diuers. rescript. apud Tapiam de Constit. Princ. cap. IX. Part. II. n. 87.

XII. Decima Comparatio, tam Cardinales quam Ecclesiasticos Electores cognatos Regum vocari, nihil habet singulari consideratione dignum; sed ex his, quæ sunt ad septimam Comparationem dicta possunt æstimari. Vnum tamen est, quod non improbe statuam. Non esse, vt moris huius in Electores pigeat Reges pudeatue: in Cardinalibus esse, si cogitent, ea ratione posse Papam innumeros de luto tollere, & sedere facere cum Principibus cognationesque Regum his illustrare emblematis.

XIII. Undecima ab exemplis tracta est magnorum Principum, qui & Electoribus vel Cardinalibus loco cesserunt. Sed vidimus supra multum referre, vtrumquis alicui per errorem, vel ciuilitatem, aut in honorem sacrorum iam vero ex debito cedat. Præterea constat multos esse Principes qui Electoribus cedant, non cedant Cardinalibus. Ne dicam ex M. Ant. de Dominis de Rep. Eccles. 4, 5, 32. *Sapientes interea Principes non defuisse, qui Cardinales in locum satis humilem, vereq; suum detruserunt, eosque nimium insolescentes subinde represserunt.* In Germania quidem nostra Comitibus anni MDXLV. Wormatiæ, MDXLVIII. MDLI. MDLV. MDLVII. & MDLIX. Augustæ (ne plura repetam) Tridentinus Augustanusque Cardinales & Episcopi, eodem loco subscripserunt, ac si Cardinales non fuissent, inter alios Episcopos, ante quos tamen Austriaca domus; & ante hanc Electores nominantur. In Gallia Cardinalatus adeo nihil valere ad obtinendam contra Principes Præcedentiam

N

credi-

creditus est, vt in lite ducis Niuerniæ cum Cardinale Vindocino ne quidem pro argumento adducatur in l. II. des memoires du Tillet p. 178. Anno autem MDLXI. in Comitibus ad Eliæ pontem *controuersia de honoratiori loco inter Cardinales & Principes Regii sanguinis orta, à Sanctiori Concilio pro his contra illos est pronuntiatum. Castellioneo & Armeniaco Cardinalibus acquiescentibus, & infra Principes assidentibus; vtcumq; Turonus, Lotharingus & Guisus maluerint è comitiorum aula discedere, contra collegarum facilitatem frementes & indignabundi.* Polan. Hist. Concil. Trid. lib. V. Thuan. lib. XXVII. Limnæi Notit. Franc. 7, 1. Principibus porro sanguinis Regii non debent cedere nostri Electores; qui & ipsi ferme Principes Imperatorii sanguinis sunt. & Imperatorem creant, quod Gallis in Rege suo non conceditur: & amplissimas obtinent ditiones; quum in Gallia nemo subditos habeat nisi Rex. *Il n'appartient, qu'au Roy d'auoir des suiets,* Loyseau des Seigneuries c. XI. n. 5. Limn. Not. Franc. 1, 7. notum. Sed quid ego Principes allego? Cum anno MDXC. Cardinalis Caietanus legatus insuper Pontificis, Parisiis in Senatum venisset, velletque suggestum vranisco superstructo ornatum, qui Regi soli reseruatur, conscendere; Barnabas Brissonius, qui primas in Senatu tenebat, manu prensam retinuit, & in subselliis inferioribus, è regione, post se loco secundo sedere iussit. Thuan. lib. XCVII. & ex eo Limn. de Iure Publ. 3, 4, 47. Vbi etiam aliud exemplum ex eiusdem auctoris lib. CXXII. refert de vranisco alii Cardinali negato à Mediolanensibus Hispanis. Hispaniæ quoque grandes Cardinalibus non concedere, nunc apparet in congressibus Mazarini Cardinalis, & Comitis de Haro. In Concilio Tridentino Cæsaris legatus Iac. Mendoza volebat præcedere Cardinalem Tridentinum, idque Tridenti, Histor. Concil. Trident. lib. II. ad Ann. MDXLV. at Hugo Comes Montforti; & Franciscus Toletanus, eiusdem Cæsaris legati, non recusarunt Electoribus cedere, Ibid. lib. IV. ad Annum MDLI. Sicut & antea ex Thuani lib. VIII. & Pallauicini Hist. Concil. Trid. occupauimus dicere, in eo Concilio Electores post legatos Pontificios præcipuum dignitatis gradum obtinuisse.

XIV. Duodecima Similitudo, quod æquiparentur Præfectis Prætorio non tenebit nos diu. Non enim Cardinales omnes, sed ii tantum, qui Legatorum nomine cum imperio sunt. vt demonstrat Cassanæus. Et tamen non sunt sine prouocatione, vt erant præfecti Prætorio. Contra ab Electoribus A. B. prouocari vetat, habetq; illi proprio iure perpetuam
(eo-


(eoque longe nobiliorem) potestatem: qualem Præfecti Prætorio habebant precariam, & ab alieno pendentem arbitrio.

XV. Sic igitur distinctis, quæ in speciem erant æqualia, de reliquis agendum est, quæ Cardinales habent, Electores non habent. Ex solis Cardinalibus creantur Pontifices, supra cap. IV. num. II. Id vero non magnum est, sed commune ceteris Episcopatibus: Nam & in illis nemo eligitur qui sit extra collegium. Et in Ecclesia Constantinopolitana, itemque Mediolanensi seruari noluit Ioannes VIII. ne quis eligatur nisi de Cardinalibus presbyteris & Diaconibus illarum sedium, Ioan. VIII. Epist. CXCI. & CCXX. Deinde, ne hoc quidem est sine controuersia. Summa quidem Sylvestrina voce Electio III. v. 3. dicit secundum Ang. de Anch. quod eligere possunt (Cardinales) vnum de Collegio, & non de Collegio Cardinalium. dist. XXIII. in nomine & sic multi electi sunt non de gremio Cardinalium: (exemplum habet Niem de Schismate 1, 2. ceteris tamen paribus magis eligere debent vnum de collegio. Quod autem Innocentii IV. beneficio ab asinis ad equos rescripti sunt Cardinales, vt supra 4, 3. demonstratum, id monstrat potius, quam per se ordo ille debeat esse ab omni fastu mundano remotus. Calëstinus V. primo, postquam Papalem Cathedram ascendisset, conuentu constituit, vt ab eo tempore nec Papa, nec Cardinales cum tanta pompa solennibus equis vterentur, nec mulis quidem, sed a sinistantum veherentur, dicens: Iesus Christus, filius Dei, humilis asini dorso vectus est, cuius nos imitatores esse debemus. Henr. de Erfordia apud Wolf. Memorab. Cent. XIV. ad Ann. MCCCL. Id factum An. MCCXCIV. testatur Langius in Chron. Citizenfi. Eo respiciunt ista Platinae in Greg. IV. Nostris temporibus in omnem luxum & libidinem sese effundit Ecclesiasticus ordo. Coccinatos & trabecatos nunc inspiceres, non homines, quod leue fortasse videretur, sed equos & iumenta; precedente, dum incedunt, magno adolescentum, & altero Presbyterorum agmine subsequente, non in asinis, vt Christus nostri dogmatis autor, & bene viuendi vnicum in terris exemplar; sed in equis præferocibus, & phaleratis, ac si ex hoste deuicto triumphum ducerent. Quod autem huius instituti, vestiumq; purpurearum Auctor Innocentius fuit, cuius cum Friderico II. nota sunt certamina, ideo factum id de spoliis Friderici dicit Car. Molinaeus apud Wolf. Cent. XVI. ad Ann. MDL. Id nimirum erat tempus, quo recens institutis Electoribus Imperii, quos & ipsos ceteris à Principibus distinguit cultus, suos etiam Electores Papa nouis insignibus studebat extollere. Colore autem illo, vt consensu traditur, admonere

Cardi-

Cardinales voluit, fundendum esse pro Ecclesia sanguinem h. e. pugnandum contra Imperatores, Regesque à DEO constitutos pro ambitione & iniustitia Pontificum. quod quidem insigniter præstitisse eos aiunt, multumque fuisse Christiani sanguinis; nec interdum pepercisse suo. Qui de Domitiano iudicium Taciti legerunt, suspicari possent, hac etiam causa colorem istum placuisse Pontifici, ut quum eius in gratiam Cardinales multa turpia facturi passurique essent, *ab hoc rubore contra pudorem se munirent*. Taciti locus est in Agric. 45, 4. Forfan etiam ad Laconicæ generositatis respectus est habitus. Quippe Spartanis veteribus militaris vestis fuit colore puniceo, ne sanguis vulneratorum conspectus, hosti fiduciam, & suis metum adderet. Vide Plutarch. Instit. Lacon. cap. VIII. Veram tamen causam putamus, quam & declarauimus 4, 14. ut Regibus æquipararentur Cardinales, quorum ab antiquo propria fuerat purpura. Ceterum Regibus dandum atque relinquendum erat, quod Regum est: Cardinales si volunt Ecclesiastici videri, dicere deceret cum Cælestino Papa, Decret. cap. XIV. *Discernendi à plebe, vel ceteris sumus doctrina non veste; conuersatione, non habitu; mentis puritate, non cultu.* Ceterum, ut ad id quod agitur redeam, purpura Cardinalium non efficiet eos pares Electoribus. vestis enim non facit virum. & purpuræ vsus potest esse promiscuus. fuit certe communis olim multis teste Liuius 34, 7, 2. *Purpura viri vtimur; pretextati in magistratibus in sacerdotiis; liberti nostri pretextis purpura togis vtuntur, magistratibus in coloniis municipiisque hic Romæ infimo generi magistris vicorum, toga pretexta habenda ius permittimus &c.* eoque tempore, quo hæc dicta sunt, etiam mulieribus concessum purpuræ vsus ex eodem scriptore dicimus. Porro ne hoc nesciamus, rubrum solummodo pileum Innocentio Cardinales debent; non etiam purpuram, quod improvide adiecit Berthauld Flori Franc. cap. XXII. vestem enim coccineam Paulus II. dedit, ut pileo responderet. Platina. de Dominis 4, 5, 54. ex Genebrardo, Turfellin. Epit.

Hist. lib. X. Caluis. Chronol. Quis autem Papa equos etiam purpuratos effecerit, annotatum non reperi.



1077

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

